



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Sebast. Izquierdo Alcarazensis Soc. Iesv, svpremis
Inquisitionis Senatvs Censoris, Et Olim Complvti SS.
Theologiæ Professoris. Pharvs Scientiarvm**

Izquierdo, Sebastián

Lugduni, 1659

Tractatvs II. De accidentibus intellectionis humanæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95620)

latius *disput. 4. quæst. 1.* ex duplici capite oriri posse, vt actus sine formidine opposita ab intellectu humano eliciatur. Primo, quia id expolcunt, merita fundamentorum, quæ ad illum eliciendum extant reuera. Secundo: quia intellectus illum eliciens parum considerat & parum circumspicte procedit, atque adeo, aut præ ignauia non percipit, aut præ locordia non aduertit, aut aliunde non attendit ad illa, vnde formido excitanda erat. Et quidem in primo casu actus à formidine immunis propriè & strictè dicitur certus certitudine subiectiua. In secundo verò minus propriè, minusque strictè. Quocirca de hæreticis, qui secundo modo intrepide, & sine formidine suis erroribus adhærescunt, multi Theologi censent eos non tam certos, quàm pertinaces in talibus erroribus dicendos esse. Vnde tandem colligitur certitudinem subiectiuam propriam & strictam, & euidentiā intellectiōis in idem recidere, vt ex hic dictis, ex dictisque *q. citata* liquidum fit.

7 Noto secundo necessitatem veritatis actus intellectiōis, in quo consistit certitudo formalis eius, ex triplici capite nasci posse. Primò, ex natura obiecti, quod in se necessarium est, & indefectibile, secundo, ex natura ipsius actus, qui cum obiecto suapte essentia connexus est. Tertiò, ex natura principiorum actus, quibus repugnat actum falsum elicere. Quo iure Recentiores quidam totidem membra certitudinis formalis ponunt, vocantes extrinsecam eam, quæ ex natura obiecti, aut etiam principiorum promanat; intrinsecam verò eam, quæ ex natura ipsius actus. Verumtamen, quia accidentaria videtur esse tendentiæ actus necessitas veritatis ex solius obiecti necessitate orta; eo quod per locum intrinsecum actus eodem modo tenderet in obiectum, etiam si per impossibile tale obiectum non esset: certitudo autem formalis ex natura actus potissimum est desumenda. Idcirco ego nullatenus dicerem certum formaliter adhuc extrinsecè eum actum, cuius veritatis necessitas ex necessitate duntaxat solius obiecti proveniret. Aptius fortasse dicitur actus certus, quando nascitur ex principiis ex se determinatis ad actum verum: quo pacto certitudinem formalem exponit Petr. Hurt. *disp. 8. de Anim. sect. 1.* Non tamen videtur negandum, actum connexum cum suo obiecto certum quoque esse formaliter; qualicumque demum sint principia, vnde ille oritur. Quando verò utrumque concurrat, nempe & principia actus ad actum verum suâ naturâ determinata esse, & actum ipsum suâ etiam naturâ esse cum obiecto connexum, tunc absque omni dubio apud omnes dicitur actus certus formaliter. Quo pacto, actus fidei diuinæ, actus scientiæ Dei, & similes, sine controuersia, actus certi veniunt ab omnibus appellandi. In quibus omnibus nullum litigium potest esse nisi de nomine.

Diuisio 2.

8 Certitudo formalis intellectiōis alia metaphysica, alia physica, alia moralis est.

Quoniam connexio actus cum suo obiecto, siue necessitas veritatis, in quâ consistit certitudo formalis; alia physica, alia moralis esse potest, iuxta diuisionem connexionis traditam *suprà disput. 2. q. 5. hypoth. 2.* tradendamque iterum *infra disput. 14.* quæ eadem necessitatis quoque est: cum omnis necessitas in connexionem quadam posita sit, vt explico *infra suo loco*. Porro, tunc veritas actus est necessaria metaphysicè, quando nulla omnino potentia potest

Pharus Scient. Tom. I.

actui deesse. Tunc verò est necessaria physicè, quando naturaliter non potest deesse actui, estò supernaturaliter possit. Tunc denique est necessaria moraliter, quando non potest moraliter actui deficere, tametsi possit tum metaphysicè tum physicè. Dicitur autem non posse veritas moraliter actui deficere, quando actus eiusmodi est, vt sub eadem rerum ac circumstantiarum peristasi aut semper, aut fere semper, aut plerumque veritas illi adest. Vnde necessitas moralis in vniuersum varios gradus habere potest, qui ad tres insinuos possunt reduci, critque supremus, quando id, quod dicitur necessarium moraliter, estò deesse possit simpliciter, omnino semper adest; medius autem, quando adest fere semper, & infimus, quando plerumque. De quo videnda plura dicta *locis citatis*.

Diuisio 3.

Certitudo subiectiua actus intellectiōis in physicam etiam, & moralem diuidenda venit; aliter tamen viurpatis his vocibus, quam diuisione præcedente.

Certitudo enim subiectiua, quæ in immunitate ab opposita formidine, vt diximus, posita est, tunc dicitur physica; quando omnem omnino formidinem etiam physicam remouet; moralis verò nuncupatur; quando formidinem prudentem, non verò physicam excludit. Sic actus, quo credo Romam esse, aut totum esse maius sua parte certus est physicè subiectiue: quia nullam omnino secum formidinem aduersam admittit; actus verò, quo iudico fidei articulos esse reuelatos à Deo, subiectiue est certus moraliter: quia licet physicam formidinem secum compati possit; prudentem tamen & cordatam non potest.

Ex quibus patet primò, bene posse esse actum aliquem certum formaliter certitudine physica, & metaphysica; qui tamen subiectiue sit certus non physica certitudine, sed tantum morali. Talis namque est sæpe actus fidei diuinæ; qui prudentem solum formidinem, non verò physicam excludens, necessitate nihilominus metaphysicè verus est; sicut è contra potest accidere, vt actus aliquis sit certus formaliter morali tantum certitudine; eo quod morali duntaxat necessitate est verus; & tamen subiectiue sit certus certitudine physica; eo quod omnem prorsus formidinem etiam physicam pellit. Talis enim actus est, quo credo Romam esse. Pariterque tot fere modis, quibus diuersa ista certitudinum genera, earumque carentiæ possunt inter se combinari, iuxta combinationum regulas tradendas alibi in eodem actu sic combinata coniungi possunt, vt consideranti apparebit. Nec enim omnes combinationes modò percurrere, atque examinare opus est.

Secundo patet certitudinem subiectiuam moralem, & physicam in idem recidere cum euidentiâ morali & physica secundæ acceptionis expositâ *suprà disputatione 4. quæst. 2. diuis. 2.* cum tamen certitudo formalis metaphysica, physica, & moralis non ita coincidat cum euidentiâ metaphysicâ, physica, & morali primæ acceptionis ibidem explicatâ à nobis *diuis. 1.* vt apparebit conferenti definitiones earum traditas *ibi, & in præfati.*

Diuisio 4.

Denique certitudo sumpta vniuersè in certitudinem obiectiuam, & certitudinem formalem

N

diuidi

diuidi potest, latius formali accepta, quam hactenus.

Certitudo quippe obiectiua ea est, quæ obiecto intellectionis tribuitur: nam, vt id, quod per actum verum est cognoscibile, verum obiectiue appellatur, & id, quod est cognoscibile per actum euidentem, euidens dicitur obiectiue; ita quoque, quod est cognoscibile per actum certum, obiectiue certum vocatur. Totque modis certum vocari potest, quot modis iuxta dicta certus est actus, per quem cognoscibile est. Certitudo verò formalis, prout obiectiue contraponitur, omnem certitudinem ex parte intellectus se habentem, & hucusque à nobis expositam comprehendit, nempe certitudinem subiectiuam, & aliam formalem à subiectiua distinctam.

QVÆSTIO II.

Quanam insuper de certitudine intellectionis humanae restant dicenda?

- 13 **R**espondeo vno verbo. Eadem fermè, quæ de euidentia *disputatione* 4. sunt dicta; sed multò breuius, vt apparet, propositionibus sequentibus.

Propositio 1.

- 14 Certitudo tum formalis, tum subiectiua soli iudicio tum formali, tum virtuali conuenit; non item simplici apprehensioni.

Quia per apprehensionem simplicem nullatenus dicimur certi de obiecto apprehenso, nec ipsa vllomodo solet certa appellari. Hæc namque appellatio soli adaptatur cognitioni, qua aliquid, loquendo absolute, dicimur cognoscere, intelligere, aut scire; quale dumtaxat est iudicium aut formale, aut virtuale; non item simplex apprehensio. Quid sit autem iudicium virtuale satis in superioribus exposuimus. Vide dicta in simili *disput.* 4. *quest.* 1. *proposit.* 2. Addeque, vt ibi propositiones vocales iudiciis respondentes, etiam iuxta communem usum, certas solere nuncupari; secus simplices voces, aut quaestiones correspondentes apprehensionibus simplicibus.

- 15 Ex quibus collige in omnibus iudiciis, ex quibus subordinatis discursus humanus coalescit, posse inueniri certitudinem; è quorum numero est iudicium, in quo illatio nititur, quodque plerumque est virtuale de connexionione antecedentis cum consequente. Quocirca ratione certitudinis talis iudicij illatio ipsa certa dici solet, & esse; idque certitudine tum subiectiua, tum formali à subiectiua distincta, qualis dicto iudicio, sicut & cuius alij potest competere. Vnde etiam patet, quo sensu ratione illationis & ipsi discursui possit, & soleat certitudo adaptari. Solemus quippe interdum dicere discursum nostrum, certum esse, hoc ipso quod est certa illatio, qua inferimus consequens ex antecedente. Quæ omnia ex dictis de naturâ nostri discursus *disput.* 2. *g.* 5. satis cuique conspicua erunt.

- 16 Itaque certitudo tum subiectiua, tum formalis in omni iudicio inueniri potest, tam quod ex terminis apprehensis capitur, & principium dicitur; quam quod ex aliis colligitur, & dicitur conclusio; quam, quod pro obiecto habet connexionem antecedentem

tis obiectiui cum consequente. In quo, vel nititur, vel consistit illatio, ad quæ tria capita omnia iudicia humana reduci possunt: Vnde tandem inferitur in omnibus pariter aliis iudiciis intuentium eiusmodi certitudines posse quoque inueniri.

Propositio 2.

Certitudo sumpta vniuersè è genere est eorum¹⁷ prædicatorum, quæ suscipere dicuntur magis, & minus, prout iam iam explicio speciatim.

Primum enim ex obiectis à nobis cognoscibilibus alia aliis certiora sunt sua obiectiua certitudine comparatione nostri: quia alia certius à nobis, quàm alia sunt cognoscibilia, quemadmodum & alia sunt aliis euidentiora: quia & alia euidentius à nobis, quàm alia cognoscibilia sunt. Cæteroquin si ad intellectum diuinum obiecta vera comparentur, omnia æquè certa, sicut & æquè euidentia dicenda sunt: quia omnia summâ certitudine, summâque euidentia cognoscibilia sunt à Deo. comparata tamen ad cæteros intellectus creatos, aut æqualem, aut inæqualem certitudinem, euidentiamque obiectiuam habere dicentur, iuxta mensuram principiorum, siue fundamentorum, quæ ad illa cognoscenda habuerint intellectus, ad quos comparantur, vt per ipsos cognoscibilia. Quæ omnia ex definitione datâ certitudinis obiectiue certa sunt.

Deinde certitudo subiectiua per exclusionem¹⁸ formidinis superius definita ita magis & minus suscipit, vt data quauis, alia maior excogitari possit, & dari, quanquam enim actus omnem formidinem excludens in excludenda de facto formidine ab alio superari non possit: quia maior exclusio formidinis, quam exclusio omnis formidinis non potest dari; hoc tamen ipso, quod claritas, aut perfectio intrinseca actus incompatibilis cum formidine possit esse maior, & maior sine termino; vt verè potest; dato quouis actu, alius minus obnoxius formidini, seu magis illi repugnans dabilis est: qui subinde magis certus iure dici potest, & solet certitudine subiectiua.

Præterea certitudo formalis à subiectiua¹⁹ distincta, quam in necessitate veritatis actus posuimus, magis & minus etiam suscipit secundum omnes suos gradus, nimirum siue ea sit metaphysica, siue physica, siue moralis. Quoniam omnis necessitas non solum moralis, de quâ non est dubium, sed etiam physica & metaphysica adeo magis & minus suscipit, vt datâ quauis citra infinitam, alia sit dabilis, maior & maior sine termino, vt ex professo ostendam *infra disput.* 11. vbi ad rem plura.

Propositio 3.

Certitudo subiectiua, & falsitas in eodem iudicio²⁰ humano bene coherere possunt, sæpèque de facto coherent. Certitudo verò formalis, quo pacto est veritatis necessitas, eo dumtaxat, & non aliter repugnat falsitati.

Prima propositionis pars inde constat, quia sæpe sæpius absque vlla formidine, absque vllaque hæsitatione iudicamus obiectum, certique subinde de illo sumus certitudine subiectiua; quod tamen postea deprehendimus falsum fuisse. Falsitas enim obiectiua sæpius ob apparentiam fundamentorum verifamilior est, quàm veritas comparatione nostri; atque

atque adeo etiam valens in nobis procreare iudicium subiectiue, certum, hoc est, exemptum siue immune à formidine opposita.

21 Secunda verò propositionis pars sola sui explanatione firmatur. Etenim, cum certitudo formalis, aut metaphysica, aut physica, aut moralis esse possit, vt constat ex dictis, iuxta totidem gradus possibiles necessitatis veritatis. Si fuerit metaphysica cum falsitate eiusdem actus nullomodo componi poterit: quia actus necessario verus necessitate metaphysicā, nulla potentia potest esse non verus, atque adeo falsus, vt constat. Si verò fuerit physica, physicè quidem non poterit cum falsitate eiusdem actus coniungi; poterit tamen metaphysicè: quia, quod solum physicè, seu naturaliter est impossibile, metaphysicè est possibile; vt etiam est notum. Si denique fuerit moralis, moraliter solum erit falsitati repugnans: non item metaphysicè, & physicè: quia, quod moraliter tantum impossibile est, metaphysicè nihilominus, atque etiam physicè est possibile, vt cunctis similiter patet.

Propositio 4.

22 Idem iudicium comparatione eiusdem obiecti neutiquam potest esse certum, & simul incertum in eodem genere.

Quia certitudo, & incertitudo eiusdem generis in eodem actu, & comparatione eiusdem obiecti contradictoriè opponuntur, vt ex dictis satis est notum. Dico autem *in eodem genere*, quia certitudo vnius generis cum incertitudine alterius bene possunt in eodem actu coniungi respectiue ad idem obiectum; videlicet idem actus respectu eiusdem obiecti bene potest esse certus subiectiue, & incertus formaliter; aut vice versà. Tum potest esse certus moraliter, incertusque physicè, &c.

23 Casu verò, quod per eundem actum duo obiecta cognoscantur distinctè, tunc ille dici poterit certus comparatione vnius obiecti, & incertus comparatione alterius, quando immunitas à formidine, aut à falsitate, in quā consistit certitudo, ex eo præcisè, & formaliter, competit actui, quod respicit vnum obiectum, non item, quod respicit alterum; eo quod per locum intrinsecum verum est, fore vt talis actus nihilominus talem immunitatem haberet, et id ille per impossibile vnum obiectum respiceret, & non alterum, iuxta doctrinam vniuersalem tradendam suo loco.

Propositio 5.

24 Duo actus intellectus eiusdem obiecti, quorum alter certus sit, & alter incertus etiam in eodem genere, bene possunt in eodem intellectu simul existere.

Hæc propositio satis constat ex doctrinā stabilitā *disput. 4. quæst. 5.* per totam. Nam vt ex ibi dictis liquet, actus fidei Diuinæ, & actus fidei humanæ eiusdem obiecti in eodem intellectu bene, cohererent, & tamen primus certus est certitudine formali metaphysicā, quam non habet secundus, ob idque est incertus in tali genere. Similiter actus fidei diuinæ, & actus scientiæ de eodem obiecto bene possunt coniungi, quorum primus subiectiue est incertus, loquendo physicè; quo genere est certus secundus. Relege doctrinam eius quæstionis; multaque alia inde exempla in rem præsentem poteris aggregare.

Pharus Scient. Tom. 1.

Propositio 6.

Duo motiua, quorum alterum certitudinis, & alterum oppositæ incertitudinis seorsim ferax sit, bene possunt ad eundem actum simul concurrere. Qui tamen simpliciter, & absolute certus, non item incertus dicitur.

Prior pars propositionis ex dictis *disput. 4. quæst. 6.* satis est nota. Posterior autem inde probanda venit: quia vbi actus semel est certus, simpliciter, & absolute dicitur talis; nequit autem non esse certus actus proueniens à motiua seorsim feraci certitudinis, tametsi simul à motiua non ita feraci proueniat, vt satis, superque notum fit ex doctrinā datā in simili *q. citatā*, quæ ad rem præsentem non repetenda, sed recolenda est. Et hæc satis de certitudine, atque oppositā incertitudine.



DISPUTATIO VI.

De probabilitate, oppositæque improbabilitate humana intellectionis.



ROBABILITAS, oppositæque improbabilitas soli iudicio vel formali, vel virtuali potest competere; non item apprehensioni simplici, vt apud omnes est certissimum, & ex dicendis apparebit. Iudicium autem incertum, & consequenter aut probabile, aut improbabile, opinio dicitur vniuersæ. Quocirca perinde erit differere de opinione (de quā fere Doctores differunt) ac de iudicio probabili, aut improbabili. A probabilitate autem opinionis, siue iudicii obiectum per illud iudicabile probabile dicitur, sicut à veritate, certitudine, aut euidentiā iudicii obiectum per illud iudicabile dicitur verum, certum, aut euidens, vt ex *superius dictis* liquidum est. Vnde patet probabilitatē in vniuersum, de quā à nobis sermo suscipitur, duplicem esse, formale scilicet, quæ iudicio, seu opinioni competit, & obiectiuā, quæ competit obiecto iudicabili Paritèrque de improbabilitate oppositā dictum esto.

QVÆSTIO I.

Quid sit opinio probabilis. Et quid improbabilis?

Opinio probabilis iuxta communem Auctorum sensum ea est, quæ in re incertā grani nititur fundamento. In hanc enim definitionem recidunt alia, quas afferunt. Salas *1. 2. Tract. 8. disp. vnic. sect. 5.* Azor *lib. 2. cap. 17. §. His igitur.* Soar. *Tract. 3. d. 12. sec. 6.* Th. Sanc. *1. 1. sum. c. 9. n. 6.* Filliuc. *Tract. 21. c. 4. n. 13.* Ioan. San. *in selectis d. 44. n. 61. §. 62. & d. 29. n. 7.* Palao, *T. 1. disp. 2. pun. 1.* Layman. *lib. 1. T. 1. n. 6.* Gasp. Hur. *Tract. de Bonit. & mal. disput. 4. c. 5. diff. 15.* cum Valsquez. Mont. & Gr. & aliis. Quod etiam spectat definitio, quam Arist. habet *lib. 1. Top. cap. 1.* Nam, quæ omnibus aut sapientibus videntur vera, ea utique graui & prudenti fundamento non carent. Voco autem fundamentum in vniuersum, quid

quidquid inducit intellectum ad iudicandum siue id sint termini ipsi sic, vel aliter apprehensi, quando propositio obiectiua est immediata, seu per se nota; siue sint alia principia, unde propositio deducitur, quando ea mediata est, seu nota per aliud, siue sit autoritas, testimoniumve alienum, propter quod creditur propositio, quando eam alij testantur, seu proferunt serio, & ex animo. Ex quibus aliena autoritas seu testimonium fundamentum extrinsecum; cetera autem omnia intrinseca dici solent communiter; à nobisque etiam distinctionis gratia dicuntur. Tamen, vt *alibi* notauimus, & horum multa alio sensu extrinseca sint. Graue autem siue prudens fundamentum vocatur, quod tanti ponderis est, vt in eo prudens quisque possit inniti sine vlla leuitatis, aut imprudentiae nota. Quamquam enim intellectus humanus ne ex imperio quidem voluntatis sine omni prorsus fundamento iudicare possit obiectum; at fundamenta quaedam adeo sunt leuia, vt sine temeritatis nota nemo prudens eis possit fidere ad suum exhibendum iudicium; tamen si sufficientia sint ad illud elicendum physice, temere, & imprudenter.

3 Sed dicit aliquis. Posito quouis fundamento, siue pro altera tantum, siue pro vtraque parte contradictionis, manet intellectus humanus determinatus quoad speciem ad assensum, vel ad dissensum, vel ad carentiam vtriusque iudicii: quia neque physice iudicare potest, nisi id, ad quod inclinatur fundamento vrgentiori: ergo fundamentum sufficiens ad iudicandum physice leue & imprudens esse non potest: quia si non habet oppositum, iudicium certum causat, in quo non potest esse imprudentia: si autem habet oppositum, illi praeponderat, eligiturque sine libertate; quo aditus imprudentiae pracluditur. Admisso modo antecedente, quod multi negant, & de quo nos *agimus infra disput.* 7. Nego consequentiam. Ad probationem dico, in re incerta, de qua tractamus, semper superesse libertatem quoad exercitium ad suspendendum omne iudicium, vt fatentur omnes; atque adeo posse esse imprudentiam in exercitio iudicandi, quando ob fundamenti leuitatem, etsi alias physice sufficientis, erat à iudicio abstinendum. Adde etsi fundamentum ex se sit physice insufficiens ad iudicandum; ex nimia tamen intellectus adhaesione, intentaque plus a quo imaginatione posse quoad apparentiam, atque adeo delusorie sufficiens reddi; maxime si accedat aliqua passio animi, aut nimia affectio voluntatis ad tale iudicium: mirum est enim, quibus facis passiones animi colorant obiecta, quantisque incrementis exaggerant fundamenta eorum, quae cupimus, vt aliter nobis videantur, quam verè sint. Augere igitur hisce mediis fundamenta assentiendi alias leuissima, quis non videat munus esse imprudentiae? Ex quo patet, quomodo stantibus fundamentis oppositis, possit imprudenter augeri, quod ex se leuius est, altero grauiori demisso, seu diminuto, vt intellectus physice, & imprudenter inniti possit fundamento leuiori; etiam si vera sit opinio, quam praetendebat argumentum.

4 Fundamenta ergo, quae probe, sincereque spectata leuiora sunt, quam vt prudens quisque possit eis fidere ad iudicandum, ea dicimus insufficientia ad faciendam opinionem probabilem, atque adeo etiam ad reddendum probabile obiectum iudicandum ex illis, proindeque tum iudicium, tum obiectum

improbabile erit quod talibus fundamentis subnixum, siue suffultum est. Dicitur autem obiectum probabile, vel improbable ab eis fundamentis duntaxat, quae ab hominibus detecta sunt; non itidem ab illis, quae latent adhuc. Alioquin nullum obiectum decurru temporis per nouam inuentionem fundamentorum ex probabili posset fieri impossibile, aut vice versa, quod tamen est falsum, vt ex dicendis apparet.

Unde patet probabilitatem, quemadmodum & certitudinem, atque euidenciam obiectorum respectiue ad intellectus pensandam esse. Saepè enim fit, vt respectu vnius, aut alterius, aut aliquorum intellectuum obiectum aliquod sit probabile, quod tamen respectu aliorum impossibile est: eo quod illis, non verò his fundamenta idonea suppetunt; siue detecta sunt, quibus ad tale obiectum prudenter iudicandum possunt inniti. Ex quo rursus fit, illud obiectum simpliciter, & absolute probabile venire dicendum, quod omnibus, aut plerisque communiter tale est; eo quod omnibus, aut plerisque communiter ad tale obiectum iudicandum notescunt grauius fundamenta.

Ceterum animaduertere oportet, non solum opinionem, iudiciumve obiecti probabilis, sed quoduis omnino iudicium prudens probabile iam vulgo appellari; sicut impossibile contra, quod imprudens est. Quocirca, claritatis gratia, triplex est distinguenda acceptio iudicii probabilis aut improbabilis. Si enim iudicium sit prudens, & de obiecto probabili, ex obiecto, & ex modo tendendi, atque adeo simpliciter probabile dicendum est. Quo etiam pacto dicitur impossibile iudicium quod fuerit imprudens, & de obiecto improbabili. Si verò iudicium sit imprudens, & de obiecto probabili; id probabile erit, & improbabile secundum quid; nempe probabile tantum ex obiecto, & impossibile tantum ex modo tendendi; sicut è conuerso iudicium prudens de obiecto improbabili erit probabile ex modo tendendi, & improbabile ex obiecto; atque adeo etiam probabile, & impossibile secundum quid.

Illud autem iudicium prudens vocatur, quod non concipitur ab intellectu sine diligentia prauiam ad indagandam veritatem adhibita, quae iure optimo pro qualitate materiae, & omnibus circumstantiis penlatis temporis, loci, personae, finis, &c. idonea, & sufficiens, iuxta prudentiae regulas, censetur. Cum enim veritatis inuentio plurimum pendeat ex attentà rei consideratione, ex sedulâ terminorum, circumstantiarumque omnium circumspectione, ex sagacique principiorum, aliorumque fundamentorum inuestigatione, & collatione; prudentia dicat, non statim fidendum esse iis fundamentis iudicandi, quae primò se se cum obiecto solent offerri: sed oportere antequam feratur iudicium, & ea examinare, & alia quaerere, prout materiae grauitas postulat. Quò enim materia grauior est, plurisque interest in ea non errare, eo maior diligentia quaerendi veritatem adhiberi debet, vt iudicium prudens euadat, ceteris paribus ex parte, aliarum circumstantiarum. Quà de causa censeo in re purè philosophicâ minus studij requiri ad opinandum prudenter, quam in re Theologicâ, & in re purè speculatiuâ, quam in re practicâ: quia error Theologicus peior est, quam philosophicus: errorque speculatiuus minoris, quam practicus interest; cū practicus geminetur in opere, iis autem qui fundamenta rei intrinseca discutere non valent, extrinseca adenda sunt: debent enim ab aliis quaerere veritatem, quam plene non noscunt.

Quomodo

Disp. VI. De prob. & imp. int. & c. Quest. II. 149

Quomodo autem intellectus in ista rerum discussione ab arbitrio voluntatis pendere possit, disp. 7. examinabitur.

8 Iam vero illud omni iudicio probabili commune est, admittere scilicet secum formidinem siue suspicionem oppositam, prudentem quoque & rationabilem: in eo enim à iudicio moraliter certo discriminatur: quia hoc, etsi admittat formidinem physicam, aut ex subreptione ortam, aut temerè conceptam; prudentem tamen formidinem non admittit. Quo etiam pacto obiectum certum moraliter à probabili differt: quia, hoc cum prudente formidine; illud verò sine ea iudicabile est. Quid verò sit formido, & suspicio iam supra disp. 2. quest. 2. diuis. 12. explicauimus. Dicitur autem formido prudens quemadmodum & alia iudicia, vel, quia maturè concipitur, vel quia nititur fundamento idoneo ad formidandum, vel propter vtrumque.

QVÆSTIO II.

Quid requiratur & sufficiat ut opinio aliqua sit probabilis.

9 Diximus quest. preced. Opinionem probabilem esse, que in re incerta graui nititur fundamento. Restabat modo examinandum vniuersum, quodnam fundamentum reputandum sit graue, atque adeo sufficiens, ut opinio illi subnixā probabilis habenda sit. Sed certe in hac re regula generalis præscribi non potest: est enim materia prudentialis; quæ fere arbitrio prudentum relinquenda est. Id tantum in vniuersum dici potest, quod quest. preced. tetigimus, fundamentum graue ad iudicandum illud dici in præfenti, quod tanto pondere inclinatur, ex se intellectum ad ferendum iudicium, ut spectato modo connaturali iudicandi, in rebus obcuris, & incertis, prudens quique sine vllā leuitatis, aut imprudentiæ notā innitens tali fundamento iudicare possit. Quod autem fundamentum eiusmodi sit, & quod non item eorum, quæ appellantur intrinseca, non potest non relinqui omnino prudentum arbitrio. Quod verò attinet ad fundamenta extrinseca, qualis est Doctorum autoritas, omnes supponunt, auctoritatem multorum, eorumque grauium Doctorum in eandem opinionem conspirantium sufficiens fundamentum esse, ut ea probabilis habeatur. Difficultas est, vtrum autoritas vnius dumtaxat, aut alterius Doctoris faciat opinionem probabilem.

10 Angel. Syluest. Nauar. Valent. & Sa, quos refert, & sequitur Thom. Sanch. in sum. lib. 1. capite 9. numero. 7. absolute docent auctoritatem vnius Doctoris probi & docti reddere opinionem probabilem. Consentunt Filliuc. Tract. 21. capite 4. num. 134. Layman. lib. 1. Tract. 1. capite 5. num. 6. & Ioann. Sanch. in select. disput. 44. numero 61. Fauet Sanct. Thom. quodlib. 3. artic. 10. docens posse discipulum in rebus moris amplecti opinionem magistri. Quod etiam tradit Azor libro 2. capite 17. q. 4. citans Abbat. Innoc. & Syluest. sufficere autem vnius Doctoris grauis dictum, si firma ratione muniatur ad faciendam opinionem probabilem, etiam contra communem, docet Palao Tract. 1. disput. 2. punc. 1. referens Pharus Scient. Tom. 1.

pro eadem sententiā Vasquez 1.2. disput. 62. num. 12. Thom. Sanch. supra. num. 9. & Villal. in sum. Tract. 1. diff. 4. num. 17. Idem docet Gran. 1. 2. Contr. 3. tract. 12. disput. 4. sec. 1. referens Azor supra quest. 6. Quorum nonnulli quædam limitationes addunt, de quibus infra. Addit Ioan. Sanch. fore opinionem probabilem, etsi illam nullus affirmet, dummodo, qui suscitatur eam sit vir doctus, & probabilibus rationibus incedat. Pro quo refert Vasquez, Villal. Azor, & Sa supra. Sed verò immérito sine distinctione aliqui ex relatis Auctoribus adducuntur pro sententiā propositā. Nam P. Vasquez citatus à Palao num. illo 12. non dicit opinionem vnius Doctoris absolute probabilem esse, sed tantum esse probabilem comparatione opinantis: postmodum enim num. 17. subiungit, opinionem vnius tantum Doctoris non esse censendam probabilem ad hoc, ut alij contra sententiam propriam eam sequantur: & Azor loco citato etiam agit de opinione probabili tantum respectu opinantis: dixerat enim capite 16. quest. 6. passim & crebrò non licere uti opinione vnius classici Doctoris contra communem, etsi aliquando liceat. Oportet ergo hæc, & alia multa distinguere impræsentiarum. Procedamus paulatim.

Propositio 1.

Quotiescumque opinio vnius auctoris nititur fundamento graui, probabilis absolute censenda est; siue sit contra communem, siue non item, idque non tam propter Doctoris auctoritatem, quam propter intrinsecum fundamentum, quod Doctor ipse adiuenit, atque produxit.

Hoc sibi voluit Ioan. Sanch. cum dixit opinionem nixam rationibus probabilibus, etsi à nemine affirmaretur, fore probabilem, consentiuntque suprarelati AA. Ratio autem huius propositionis conspicua est: quia opinio absolute probabilis est, quæ graui fundamento nititur, ut ex definitione data, communiturque recepta constat. Sed ponimus dictam opinionem tale fundamentum habere. Ergo. Porro posse inueniri à viro docto fundamentum idoneum ad obiecti probabilitatem, non solum quando rem edidit ab aliis intactam, aut à paucis excogitatam, de quo non est dubium; sed etiam quando in re communi contra sententiam receptam agit; inde profectò constat: quia ut fuisse demonstro suo loco, ea est natura scientiæ humanæ, ut non possit non in dies augeri, aliis atque aliis veritatibus denuo repperitis, quæ vel prius Doctoribus ignotæ, vel etiam ab eis repudiata fuerant. Id, quod satis superque testatur ipsa sæculorum experientia. Quot enim veritates tempore D. Th. Bonau. ut omittam alias, contra communem etiam, & tunc receptam sententiam elucidatæ sunt? Certè Ecclesia quotidie illuminatur, ut bene Glossa in cap. Ad nostram, de consuetud. verb. interdumque reuelatur minori, quod maior nescit, ut bene probat textus D. August. in cap. si habes 24. q. 3. & textus D. Hiero. in cap. esto subiect. 95. dist. ante finem.

Neque necesse est ad probabilitatem supradictæ opinionis, quod eam auctor ex professo tractauerit, quidquid dicat Palao n. 5. contra Ioan. Sanch. n. 62. Sat enim erit eam obiter indicare, vel perfunctoriè tradere; dummodo fundamentum producat, cui illa nititur: quia talis opinionis probabilitas non pendet ab auctoritate tradentis, sed tantum à fundamento graui, intrinsecoque, quod secum fert.

Addo tamen fieri posse, ut opinio lenius fundam-

N 3

mentum

mentum habeat intrinsecum, quam ut probabilis censeri possit, seu refragante sententia opposita communi, seu non refragante; & tamen sit probabilis ab adiuncta auctoritate Doctoris eam proferentis, quamvis hæc etiam seorsim sumpta ad talem probabilitatem non esset sufficiens, iuxta dicenda *propositi. seq.* quia, quæ seorsim sumpta leuiora videntur, coniuncta possunt habere pondus sufficiens ad constituendam probabilem opinionem.

Propositio 2.

14 Auctoritas vnius viri grauis & docti præcisa ab aliis fundamentis sufficiens non est ad faciendam opinionem probabilem contra sententiam multorum ingenio & eruditione parium: nedum contra sententiam communem omnium.

In hoc casu intelligo habere locum limitationes, quas adducunt Azor *cap. allo 16. q. 16. Valquez. n. 17. Thom. San. num. 9. Palao n. 3. & alij.* Ratio est, quia auctoritas vnius, pluribus ei æqualibus contradicentibus, leuius fundamentum est, quam ut homines prudentes illi fidere possint, atque adeo non est sufficiens ad faciendum obiectum probabile. Quemadmodum enim testimonium vnius testis apud prudentes non facit fidem, quando alij multi æque digni fide testantur oppositum; ita auctoritas vnius doctoris parui apud prudentes habenda est, quando alij multi refragantur æqualiter docti.

15 Hinc sequitur quantumvis homo aliorum opinionem discusserit, eiusque fundamenta expendat, & argumenta soluerit; si tamen nihil pro parte aduersa fundamenti attulerit, sed illi dumtaxat adhaerit, quod vel principia, vel illationes aliorum aliter sibi videantur; opinionem huius imprudentem, & improbabilem esse: atque adeo illam non solum ab aliis non posse tuto amplecti, sed ne ipsi quidem opinanti prodesse, quominus temerè non procedat. Est enim genus quoddam temeritatis, putare hominem se melius penetrare, & callere, quam alij ingenio & doctrina pares eadem prorsus fundamenta, quæ omnes inspexerunt æque accurate. Addiderim tamen neminem obligatum esse ad discutienda fundamenta singularis opinionis alterius, qui alias communiter pius & doctus reputatur; sed tuto posse vnumquemque etiam doctum ob illius auctoritatem in praxi talem opinionem amplecti, si alias non habet prudentem rationem dubitandi eam esse improbabilem: quia credendum non est talem hominem sine graui fundamento contra communem opinari.

16 Si tamen esset vir insignis litteraturæ longè ceteros antecellens ingenij perspicacia, consilii que, ac iudicii maturitate: haud dubie auctoritas huius præcisa ab aliis fundamentis faceret opinionem probabilem contra communem in re maturè ab illo, & ex professo examinata. Quo certè videtur respexisse Arist. *lib. 1. Topic. capite 1.* cum dixit. Probabilia esse, quæ videntur vel plurimis sapientibus, *vel iis, quorum spectata est, & perspecta sapientia, & qui hoc nomine clari atque illustres sunt.* Vnius enim horum iudicio in penetranda veritate, eruendaque ex eisdem fundamentis, & terminis non minus deferendum est, quam reliquorum cumulo, quorum plerique reliquos instar auium insequi solent; sicuti vnici probatissimus testis non propterea fidem prorsus amittit, quod pluri contradicant minoris notæ.

Propositio 3.

Auctoritas vnius viri grauis & docti præcisa ab aliis fundamentis sufficiens est ad faciendam opinionem probabilem in materia ab aliis doctoribus non agitata. Cuius probabilitas eo usque tantum durabit donec ab aliis multis æqualiter doctis vnanimi consensu contradicatur.

Ita fere sentit Gran. *suprà*, & docti Recentiores. Ratio prioris partis propositionis est, quam tradit Thom. Sanc. cum aliis *sup. num. 7.* quia auctoritas vnius Doctoris grauis & pij non est leue, sed graue fundamentum, puta quando multi æqualis auctoritatis non contradicunt, ut in præsentī casu fit; & ipse non obiter, & aliud agens, sed ex professo rem edisserens, suam sententiam pronunciauerit. Quo pacto doctrinam hanc limitant alij ex *suprà* relatis. Secunda autem pars propositionis constat ex *propos. 2.* quia contradicentibus multis æqualis auctoritatis, præcisa auctoritas vnius sine alio fundamento rei intrinseco parui momenti est ad faciendum obiectum probabile.

Et quoniam casus singulares, qui frequenter à Doctoribus deciduntur, hoc ipso, quod sunt singulares, ut plurimum non sunt ab aliis examinati; ideo in his auctoritas sola vnius viri docti absque alio omnino fundamento facit resolutionem probabilem, donec ea à multis parīs doctrinæ vnanimiter contradicatur.

Ex dictis in hisce tribus propositionibus nulla conclusaria elicienda sunt. Sit primum. Idem obiectum decursu temporis ex improbabili posse reddi probabile, & vice versa. Possunt enim fundamenta idonea ad vtrumque, quæ antea latebant, studio hominum detegi, & euulgari. Tum in iis, quæ sunt iuris positiui quotidie adduntur nouæ leges, ac decreta, quæ cuncta immutant. Imo vero tempus ipsum, immutata materia, ius ipsum naturale, quodammodo variare solet; qualiter ex variatione pretij rerum possunt obligationes, regulæque iustitiæ variari.

Hinc rursus fit, in suscipiendis opinionibus 20 Scriptorum, eorum maxime, qui antiquiores sunt, magnum delectum habendum esse: quia sæpe potest euenire, ut opinio in libris scripta, quæ olim probabilis erat, iam reddita sit improbabilis; vel quia decretum aliquod postea in ea materia editum est, vel quia aliud fundamentum, quod antiquiores non viderunt, est à iunioribus productum; cum quo iam illorum opinio subsistere non potest. Ita Valquez *suprà numero. 18. Thom. Sanch. numero. 11. Villal. diff. 6. numero. 1.* Addit Layman. *numero 6.* referens Sanct. Thom. Nauar. Sylu. Sa. Valquez & Th. Sanc. sententiam ab aliquibus inuentam, quam alij postea examinautes tanquam improbabilem communi calculo reiecerunt ob noua fundamenta adducta, improbabilem omnino censendam esse. Hæc de causâ pro seligendis opinionibus Neotericorum libris plurimum deferendum est, quando ij viri spectatæ sapientiæ, ac fidæ eruditionis sunt.

In quouis autem libro siue antiquiorum, siue 21 iuniorum iis maxime fidendum est, quæ ex professo tractant auctores; nam quæ obiter & perfunctorie attinguntur, parum auctoritatis habent, ut ad faciendam opinionem probabilem conuenire possint; nisi in eo casu dumtaxat, ubi ob so-

lum fundamentum intrinsecum independenter ab auctoritate Doctoris sint probabilia.

22 Deinde ex dictis est inferendum opinionem singularis Doctoris, quæ non ita probabilis est, ut ab aliis tuto possit amplecti; neque respectu ipsius opinantis posse esse probabilem; in quo dissentio à P. Valq. *supra* relato: quia fundamentum, quod respectu aliorum leue censetur, etiam censendum est leue respectu opinantis. De quo plura sunt dicta à nobis *tract. de conscientia*.

23 Præterea ex dictis inferitur, auctoritatem vnius Doctoris in iis casibus, in quibus valet ad faciendam opinionem probabilem, æque valere, siue materia, de qua agitur, sit iuris naturalis, siue diuini, siue humani: quia auctoritas vnius Doctoris in casibus dictis pro quavis harum materierum est fundamentum graue. Ita docent Th. Sanch. & Gran. contra Adrian. & Cordub. asserentes singularem Doctorem in materia tantum iuris humani posse opinari probabiliter.

24 Rogabit aliquis ad extremum, Vtrum obiectum non solum fiat probabile ob auctoritatem Doctorum, quando ipsi affirmant, id esse verum, sed etiam quando affirmant id esse probabile. Respondeo in tali casu ob auctoritatem Doctorum quoad probabilitatem tantum fieri obiectum probabile, non quoad veritatem. Hæc tamen quasi reflexa probabilitas in ordine ad praxim moralem directe æquiualeat, si spectetur, ut circumstantia actus humani; secus si ut ratio assentiendi respectu operantis, iuxta doctrinam fusè traditam *tract. de conscientia*.

QVÆSTIO III.

Quenam opinio probabilior censenda sit, & preferenda aliis?

25 SUPpono primò posse obiectum aliquod probabile esse pro vtraque parte contradictionis; imò sepius sunt huiusmodi: quia habent pro vtraque parte fundamentum graue, quo ad opinandum prudenter intellectus hominum possit inniti. Sed dices. Fundamenta opposita qualia sunt, quæ extant pro ambabus contradictionis partibus, vicissim se se debilitant, atque destruant, adeo ut ne physice quidem possit intellectus assentiri, nisi illi parti dumtaxat, pro qua adest fundamentum excedens. Ergo impossibile est, ut adsit pro vtraque parte contradictionis fundamentum sufficiens ad physicè assentiendum, nedum ad prudenter opinandum. Admissio toto antecedente, de quo *disp. seq.* nego consequentiam: quia ut sunt hominum intellectus diuersi, fundamentum, quod in conspectu oppositi nequit hunc intellectum mouere, alios multos mouere poterit ad assentiendum physicè; atque adeo etiam ad assentiendum prudenter, si illud non sit leue, sed graue. Adde quæcumque intellectum posse plerumque quoduis ex oppositis fundamentis sibi propositis augere, aut confirmare pro libito ad illud se inclinando maiore attentione, accuratiori- que consideratione, ut *q. 1.* notabam. Quo fiet ut ei innitens iudicare physicè valeat; atque adeo etiam prudenter, seu probabiliter, quoties tale fundamentum ex se iudicio prudentum non fuerit leue.

26 Suppono secundò, posse obiectum aliquod esse probabile pro altera dumtaxat parte contradictionis. Quidquid recentiores aliqui contradicant ad-

uersus communem sententiam, & experientiam, quam recte supponit Gasp. Hurt. *disp. de consc. diff. 15.* Quia potest pro altera tantum contradictionis parte esse fundamentum graue sufficiens ad opinandum circa tale obiectum. Nec refert opinionem probabilem admittere secum formidinem, aut suspicionem prudentem partis aduersaræ: nam ad prudenter formidandum, vel suspicandum minus requiritur, quàm ad opinandum prudenter: ac proinde fieri poterit, ut fundamentum alterius partis contradictionis leuius sit, quàm ut opinionem probabilem valeat fundare: & sit idoneum ad fundandam prudentem suspicionem. Et certè passim accurrunt, si quis aduertat, opiniones non certæ, sed probabiles tantum circa alteram contradictionis partem; cum tamen circa residuam probabilis opinio non sit. Illud est certum in hac re, non posse pro vna parte contradictionis esse certitudinem obiectiuam, & pro altera probabilitatem: quia certitudo obiectiua ne ad formidandum quidem de proposito relinquit fundamentum prudens.

Ex dictis constat, posse etiam inueniri obiectum, 27 quod pro neutra parte contradictionis sit probabile, etiam si habeat pro vtraque fundamentum aliquod sufficiens ad suspicandum, vel dubitandum. Et quod est pro vtraque parte probabile; aut æque probabile pro vtraque, aut probabilius pro altera posse esse. Vnde tandem colligitur posse dari opinionem falsam, quæ sit probabilis, & veram, quæ sit improbabilis, & quæ ex duabus contradictoriis probabilibus falsa est, eam posse probabiliorē esse, quàm, quæ est vera. His positis

Nauarr. in *sum. cap. 27. num. 289.* Thom. Sanch. 28 *lib. 3. de matr. disp. 44. num. 2.* Azor. *lib. 2. cap. 10. q. 2. & 4.* Villal. in *sum. tract. 1. diff. 4. n. 1.* & Ioan. Sanch. *disp. 44. n. 68.* quos refert & sequitur Palao *tract. 1. disp. 2. punct. 1.* docent opinionem probabiliorē eam esse, quæ firmiori, & efficaciori fundamento fulcitur: non quæ à pluribus Doctoribus defenditur. Probat ex Text. in *l. 1. §. Neque. C. de veteri iure enucleando.* Ibi. *Sed neque ex multitudine auctorum, quod melius, & æquius est indicari debet: Cum possit vnius forsitan & deterius sententia, & multos & maiores aliqua in parte superare.* Addit tamen Palao, regulariter loquendo, eam sententiam probabiliorē iudicandam esse, quæ à pluribus defenditur, & à doctioribus. Palaum sequuntur recentiores, qui addunt opinionis probabilitatem non crescere ex multitudine Doctorum, qui illius fundamenta non discusserunt; sed bona priorum fide eam sequuntur, ut sæpe accidit, teste Azor *cap. 16. quæst. 1.* Valq. *disp. 62. num. 13.* Thom. Sanch. in *sum. lib. 1. cap. 9. num. 9.* Villal. *tract. 1. diff. 4. num. 16.* & Ioan. Sanch. *disp. 29. n. 7.*

Propositio 1.

Ea opinio magis probabilis censeri debet, quæ 29 grauiori nititur fundamento; siue illud sit intrinsecum, siue extrinsecum, siue conflatum ex vtroque.

Quoniam probabilis opinio est, quæ habet fundamentum graue iuxta definitionem: ergo probabilior erit, quæ grauius fundamentum habet. Fundamenta autem probabiliter opinandi non solum ex intrinsecis opinantis principiis, sed etiam ex auctoritate doctorum extrinseca desumitur, ut constat ex dictis *q. præced.* & fatentur omnes. Vnde non solum intrinseca, sed etiam extrinseca fundamenta debent attendi ad pensandam probabilitatem cuiusque opinionis.

N 4

Hinc

30 Hinc si fundamenta intrinseca duarum opinionum sint paria, ea erit altera probabilior, quae maiori Doctorum auctoritate fulcita sit; quantitas autem auctoritatis non solum iuxta multitudinem, sed etiam iuxta qualitatem auctorum est ponderanda. Pauci enim grauiore, atque doctiores viri maiorem praestant auctoritatem, quam plures minus docti, & qui rem ex instituto examinarunt, longe in auctoritate praecedunt eos, qui in aliorum fide procedunt. Tametsi & ij quoque suam portionem auctoritatis addunt, vel ex eo saltem, quod subscribentes aliis, eorum auctoritatem adaugent. Quo iure cum doctus aliquis casum conscientiae examinavit, atque resoluit: alique, ut saepe accidit, ducti auctoritate prioris, re proflus inaudita subscribunt; nonnihil conferunt nihilominus ad probabilitatem resolutionis; quatenus ea sua confidentia auctoritatem resoluentis confirmant. Itaque auctoritas multorum, ceteris paribus, semper maiorem facit probabilitatem opinionum: atque adeo illa magni facienda est, etiam si plus fundamentis rei intrinsecis, quam extrinsecis auctoritati sit deferendum, quando haec duo inter se comparantur. Quae autem opinio, pensatis omnibus, extrinsecis videlicet, & intrinsecis fundamentis, grauiori fundamento adequato niti censenda sit, ut eo nomine probabilior dicatur, arbitrio prudentum relinquitur.

31 Illud tamen in vniuersum praescribi potest, opinionem communem ut plurimum singulari praefendam esse tanquam probabilior, ut recte docet Azor *supra* cap. 13. & cap. 16. *quasi* 4. necnon Henr. & Villal. apud Palao *num.* 11. Quia auctoritas communis multum praeponderat: nisi quando opinio singularis validissimo fundamento intrinseco nititur denuo reperto contra communem. Dicitur autem communis opinio, quae communi calculo eorum, qui de ea materia tractant, firmata est; siue in re Theologica, quae communiter amplectitur à Theologis; in re legali, quae communiter à Iurisperitis recepta est, &c. Oportet tamen, ut multitudo Doctorum faciat opinionem communem, quod omnes tractent eam rem ex professo, ut bene notant Menoch. Alciat. Nauarr. Azor & Ioann. Sanch. apud Palao *supra* *num.* 10. Tum requiritur, ut ij Doctores non quasi ex necessitate contra reliquos eam opinionem sequantur, eo quod sunt vni cuiusdam Magistro addicti, qui illam docuit; quia sic singularem tantum opinionem eius Magistri confirmabunt, non verò facient opinionem communem, ut notauit Azor *supra* cum Nauarr. Decio, Alex. & aliis. Potest autem opinio, quae antiquitus fuit communis, quia à plerisque eius temporis amplexabatur, iam non esse communis inter Doctores alterius seculi. Tum quae est communis in vna prouincia, potest esse in alia non communis. Vtrum autem, quando ambae opiniones contradictoriae pro se multos auctores habent, debeant ambae communes appellari; vel tantum ea, quae habet plures, quaestio erit de nomine. Certè si morem loquendi spectemus, quaecumque opinio multos habet pro se, communis dici solet, etsi pro opposita sint plures. Videatur Azor *cap.* 13.

32 Ex his rursus efficitur, ceteris paribus, ex parte intrinseci fundamenti, eo probabilior esse sententiam, quo antiquior est; imo ut nouiores sententiae contra antiquarum auctoritatem praualere possint, longe firmiter intrinseca fundamenta debent habere, ut suppleatur à ratione, quod illis deest ab auctoritate. Ut vel hinc constet, quam caute sit con-

traueniendum praevis Doctoribus in iis, quae per longum tempus pacifice in scholis receptae sunt. Deinde eorum opiniones, qui magis ex professo rem tractant, probabiliores sunt reputandae, ut implurimum, quam opiniones aliorum, ad quorum institutum non adeo res attinent. Quocirca, ut bene notat Azor *cap.* 17. *q.* 3. in re Theologica, & quae ad conscientiae forum pertinet, maxime si stetur intra ius naturale, opiniones Theologorum omnino sunt praefendendae sententiae Iuriconsultorum. E contra tamen in re spectante ad forum externum Iurisperiti Theologis anteposendi sunt. Cum tamen in iis, quae pertinent ad ius canonicum, parumque concernunt ius naturale, ut sunt censurae, & poenae Ecclesiasticae, non minus fortasse auctoritatis habeant Iuristae, quam Theologi.

Præterea quaedam aliapraebet monita pro dilectu opinionum Azor *lib.* 2. *cap.* 9. & *segg.* Primum, eam omnino sententiam contra quoscumque Doctores praefendam esse, quae vel expresse constat ex fide, vel ei maxime accedit, quod est certissimum: quia contra huiusmodi sententiam nihil potest esse probabile. Secundum, sententiam, quae magis nititur sensu, & intelligentia legis & iuris, aut consuetudine, & vfu magis probatur, aliis anteposendam esse. Tertium, in odiosis benigniorem sententiam amplectendam, iuxta illam regulam iuris. *Odia restringi, fauores conueni ampliare.* Quartum: opinionem tutiorem ut plurimum antefereendam, ceteris paribus. Quintum. Si cetera sint paria, eam opinionem deligendam, quae magis fauet Religioni, pietati, & iuri. Tum, quae in causa matrimoniali plus fauet matrimonio, & in materia voti, iuramenti, & vltimae voluntatis, quae videntibus, iurantibus, & testatoribus fauorabilior est. Ac denique, quae viduis, pupillis, peregrinis, & aliis huiusmodi patrocinatur. Haec latè, & eruditè multis exemplis illustrat Azor.

Propositio 2.

Ad pensandam probabilitatem cuiusque sententiae oriundam ab auctoritate Doctorum, sedulo est animaduertendum, num talis sententia à Doctoribus absolute, & ex animo, asseueranterque omnino; aut aliter prolata sit.

Sapissime enim vfu venit in rebus obscuris, ut Doctores non omnino assertiuè, sed vacillanter, dubitatiuè, suspensiuè, disputatiuè, problematicè, per quamdā condescendētiā, aut ex hypothesi loquantur. Quibus in casibus eorum auctoritas non opinionem, sed suspicionem, formidinem, aut dubitationem probabilem circa rem propositam facit. Vniuersaliter enim, quoties verba Doctorum firmiter iudicium non ostendant de obiecto proposito, sed tantum dubitationem, hesitationem, suspensionem, aut formidinem circa illud, compertum est propter eorum auctoritatem tale obiectum non euadere absolute probabile, hoc est, probabiliter iudicabile. Tametsi euadat tale, de quo prudenter seu probabiliter dubitari, seu formidari, vel suspicari possit.

Ex quo patet, quam caute procedendum sit, quamque fecde, & periculose multi errent in censendis probabilibus quibusque sententiis eo solum nomine, quod illa à viris grauib. & doctis, quoquo modo prolatae sunt: cum tamen ad modum eas proferendi solerter imprimis sit attendendū, ut tuto iudicari possit, num illa propter talem auctoritatem probabiles absolute sint habendae, vel secus.

QVÆSTIO

QVÆSTIO IV.

Utrum omnis opinio speculatiue probabilis, practice quoque probabilis censenda sit?

36 Solent frequenter Authores de rebus moralibus tractantes appellare opiniones aliquas speculatiue tantum probabiles, quas tamen ad praxim docent minime deducendas, utpote practice improbabiles, aut minus tutas. Quo nomine multi Iurisperiti; ut testatur Ioan. Sanch. in *selekt. disp.* 44. n. 63. à praxi relegant opiniones Duareni, Cuiacij, Donelli, Antonij Fabri, & aliorum, quas tamen theoricè probabiles, aut etiam veras arbitrantur. Ipse verò Sanch. hunc morem loquendi vehementer reprobat *ibidem*, & *disp.* 54. n. 1. ratus, esse omnino imperceptibile, quod opinio aliqua sit speculatiue probabilis, & in praxi tuto amplectari non possit: cum probabilitas practica oriatur ab speculatiua, ab eaque solum differat, tanquam effectus à sua causa.

Proposio unica.

37 Communis Auctorum loquutio in bono sensu usurpata, quidquid reclamet Sanc. verissima est, & retinenda.

Quia sunt nonnullæ opiniones probabiles, quæ ratione materiæ ad praxim sine peccato difficillimè reduci possunt: quo fit, ut eas praticare tutum non sit; etiam illæ in se spectatæ non solum probabiles, sed verissimæ sint ac certissimæ: eo videlicet, quod actus humani, quos approbant dictæ opiniones, esse secundum se spectati sint liciti, & honesti, moraliter tamen vix est possibile quod executioni mandentur; quin alij actus illiciti intermiscantur, aut ipsimet deprauentur aliqua circumstantia. Probabile est, actus quosdam habitos inter marem & feminam non ob veneream delectationem, sed ob naturalem aliam, qualis ex tactu corporum lenium, læuiumve inanimatorum accipi solet, non esse inhonestos, sed licitos; quia tamen moraliter saltem est impossibile, ut in huiusmodi tactibus delectatio venerea non misceatur; ideo in praxi ut periculosa reprobatur talis opinio. Probabile est virum nobilem licitè posse alium occidere, à quo per iniuriam suscepit alapam, si occisio fiat in conflictu, vel mox in fugâ, ex intentione depellendi iniuriam, siue non omnino amittendi honorem; sed quia vix est possibile, ut in eiusmodi occasione non misceatur affectus vindictæ, idcirco talis opinio iure reprobatur in praxi, tanquam periculosa nimis, aut practice improbabilis.

38 Itaque opinio, quæ speculatiue probabilis est, reducta ad praxim non potest non esse probabilis, si, qua ratione concipitur licitus actus per ipsam opinionem, eadem mandetur executioni. Quo sensu verum habet doctrina Sanch. Idem namque est fundamentum opinionis semper, siue eius obiectum perueniat ad executionem, siue non perueniat. Verum, quia sæpe est moraliter impossibile, ut actus fiat qualiter per opinionem putatur licitus, ut vidimus, ideo multæ opiniones dicuntur practice improbabiles, siue non tutæ; quia propter periculum peccandi non licet in praxi illas amplecti, siue se eis tutari.

QVÆSTIO V.

Quousque liceat ex antecedente certo, aut probabili elicere conclusionem probabilem?

Mos satis frequens est Theologorum, dum 39 probabiles aliorum sententias de falsitate conantur arguere, absurda aliqua contra fidem ex illis deducere, & quidem per illationes satis probabiles. Sic nostri Doctores in materia de auxiliis ex probabili Thomistarum doctrinâ inferunt satis probabiliter non esse in nobis libertatem, quod tamen est hæreticum, & omnino impossibile. Sic etiam in materia de Trinitate ex probabili Scotistarum sententia de distinctione ex naturâ rei inferunt reliqui probabiliter absurda varia contra fidem prorsus improbabilia, atque ita pariter passim in aliis materiis. Ex quibus calibus apertè constat posse ex antecedenti probabili per probabilem illationem inferri conclusionem improbabilem. Quod multi non animaduertentes monstras quasdam opiniones in rebus moralibus confingunt, easque ut probabiles venditant non sine magno morum dispendio, quod ex probatis Doctorum sententiis per probabilem illationem sibi decerpere videantur: cum tamen illæ omni prorsus probabilitate destitute sint. Cæterum, quia huiusmodi certissimæ veritatis causa, vel ratio à priori non obuia est, non abs re fuerit in præsentem eam indagare: ex illaque certas regulas statuere, quibus in erendis conclusionibus probabilibus ex alio quopiam antecedente tuto procedere possimus.

Suppono primò: propositionem obiectiuam, aut 40 per se solum, aut per aliud solum, aut per se simul, & per aliud posse esse notam, seu noscibilem: quod si per aliud, aut per vnum tantum, aut per plura, ut latius *infra suo loco* monstro, hinc sequitur propositionem per se solum notam ex solis terminis posse esse probabilem: quia non habet aliud fundamentum, unde cognoscatur. Erit autem huiusmodi, quando termini ipsi eo usque suam connexionem siue conuenientiam ostendent, ut censentur graue fundamentum præbere ad iudicandum illam. Propositio verò per se simul & per aliud nota, cum habeat duplex fundamentum, aut propter vtrumlibet seorsim potest esse probabilis: quo casu propter vtrumque simul duplo probabilis erit; aut propter alterum ab altero seiunctum, sed non è conuerso; quo etiam casu magis erit probabilis propter vtrumque simul, aut denique propter neutrum seorsim, bene tamen propter vtrumque copulatum. Eodémque pacto res se potest habere in propositione per aliud tantum nota, quando hæc non per vnum quid solum, sed per plura cognoscibilis est: potest enim probabilis euadere propter quoduis eorum seorsim, vel propter aliquid, vel aliqua, sed non propter reliqua, vel propter nullum ab aliis seiunctum, sed bene propter omnia simul, ut ex dicendis apparebit.

Suppono secundò, id, quod iam tetigi *quæst.* 2. 41 fundamentum ex se sufficiens ad faciendam propositionem probabilem ab opposito fundamento sæpe insufficiens reddi; quia id, quod seorsim sumptum fundamentum graue videtur, ut prudens quisque de obiecto iudicare possit in conspectu oppositi adiuncti, ut leuius, & parui momenti, aut etiam nullius æstimatur, quod quidem duobus modis potest accidere

accidere primò. Si per fundamentum oppositum altera pars contradictionis certa efficiatur. Secundo si efficiatur tantum probabilis: fieri enim posse ut pars una contradictionis sit tantum probabilis, cum altera sit improbabilis *q. 3.* dictum est.

41 Suppono tertio fundamentum vnicum illationis, qua intellectus humanus vnum ex alio quopiam inferre dicitur, connexionem esse antecedentis cum consequente; propterea enim intellectus ex vno iudicato ad iudicandum aliud inducitur: quia videt primum cum secundo connexum esse. Illatio autem non est actus aliquis peculiaris nostri intellectus, sed denominatio quædam resultans ex iudiciis, quibus conflatur discursus noster: conclusio namque, siue consequens eatenus tantum ex antecedente dicitur inferri, quatenus intellectus iudicans antecedens, iudicat simul, seu formaliter, seu virtualiter antecedens cum consequenti connexum esse (id est non posse esse sine illo) indeque inducitur ad iudicandum consequens. Hinc fit illationem eatenus dumtaxat vocari probabilem, aut improbabilem, aut euidenter, quatenus connexio antecedentis cum consequente, in qua ipsa fundatur, aut probabiliter, aut improbabiler, aut euidenter percipitur ab inferente. Quamvis enim intellectus ad inferendum consequens non ex solo iudicio dictæ connexionis, sed ex iudicio etiam ipsius antecedentis moueatur: vtrumque enim est causa adæquata iudicii consequentis; illatio tamen à solo iudicio connexionis, vtpote magis immediato, denominari solet talis, aut talis, atque ita licet iudicium antecedentis sit falsum, & improbabile; si tamen ex suppositione antecedentis connexio eius cum consequente sit euidens, illatio euidens appellatur; eius enim natura attenditur veluti hypotheticæ, ex suppositione antecedentis.

42 Suppono quartò antecedens, vnde aliud quidpiam inferitur, aut simplex posse esse, aut complexum; simplex est, quod nullis partibus constat per se seorsum indicabilibus; complexum, quod constat partibus huiusmodi. Quod rursus duplex est. Alterum, cuius partes collectivè solum, & indiuisim conducunt ad inferendum consequens; eo quod connexio, cui illatio nititur, partium collectioni indiuisibiliter conuenit, quin aliqua earum seorsum, & secundum se aliquid talis connexionis habeat cum consequenti. Hoc pacto præmissæ obiectivæ syllogismi ad assensum consequentis conducunt, vtpote, quæ indiuisim sumptæ sunt connexæ cum consequente, non item sumptæ seorsum, siue distributivè. Alterum antecedens complexum est, cuius partes diuisim, seu distributivè conducunt ad inferendum consequens; eo quod quælibet seorsum aliquam connexionem habet cum consequente. Hac ratione solent concurrere plura testimonia, plura indicia, plures coniecturæ, alique huiusmodi motiua ad faciendam fidem obiecti, quod ex illis tanquam ex quodam antecedente deducitur per illationem. Vocabo autem, distinctionis gratia, antecedens complexum prioris generis impartibile, posterioris verò partibile.

43 Suppono quintò, antecedens quoduis quoad duo posse esse certum, seu euidens, probabile, vel improbabile, nempe quoad suum esse, seu existere, & quoad sui connexionem cum consequente. Fieri autem potest, ut sit tale quoad primum, non item quoad secundum, vel vice versâ.

44 Suppono sextò, ut antecedens complexum seu improbabile, seu partibile quoad proprium esse sit probabile non satis esse, quod singulæ partes eius

probabiles sint secundum se, sed oportere insuper, quod sit probabilis earundem partium coniunctio, seu coexistentia. Fieri namque potest, ut omnes partes alicuius coniuncti seorsum spectatæ probabiles sint, & tamen coniunctum eorum sit improbabile, ut videre est in extremis contradictoriis, quæ passim seorsum sumpta probabilia cernuntur; cum tamen eorum coniunctum manifestè sit improbabile: cuius ratio est, quia ad affirmandum, quod existit quoduis dictorum extremorum seorsum, gratia suppetunt fundamenta; cum tamen ne leuissimum quidem possit suppetere ad affirmandum, quod ambo simul existunt: eo quod huiusmodi coexistentiam esse impossibilem euidētissimum est. Duo igitur requiruntur, ut antecedens complexum probabile sit, quoad existentiam, & quod omnes eius partes secundum se probabiles sint, & quod earum coexistentia sit etiam probabilis: coexistentia enim partium improbabilis esse potest, ut vidimus, etiam si omnes partes seorsum existant probabiliter. Si verò alicuius partis existentia sit improbabilis, nequaquam potest esse probabilis existentia totius, siue omnium partium coexistentia, quantumvis reliquæ partes euidenter existant. Cuius ratio demonstrans est; quia cum sit euidens non esse totum, ubi deest aliqua pars, hoc ipso quod non est probabilis existentia vnius partis, nequaquam potest esse probabilis existentia totius; quare nequeunt esse fundamenta idonea ad iudicandum existere totum, ubi desunt ad iudicandum existere omnes partes eius. Vnde manifestè consequitur ad hoc, ut antecedens complexum quoad existentiam euidens sit, multò potiori iure requiri prædicta duo: nempe, & quod sit euidens coexistentia omnium partium, & quod singulæ partes secundum se sint quoque euidentes quoad existentiam. Tantumdemque de certitudine dicendum est, sicut etiam de veritate.

Suppono septimò, bifariam posse consequens inferri ex antecedente; absolute, scilicet, & conditionate; ut inferatur absolute duo sunt ex parte antecedentis iudicanda absolute, nempe existentia antecedentis, & connexio eius cum consequente, quoduis enim horum duorum deficiente, siue non iudicato, nullatenus potest consequens inferri absolute. Vnde apparet hæc duo ad iudicium absolutum consequentis indiuisim concurrere, neque alterum sine altero posse quidquam præstare ad tale iudicium concipiendum. Ut verò consequens conditionate ex antecedente inferatur, ut summum connexio conditionata huius cum illo est iudicanda. Existentia enim sat est ponatur in hypothesi, ut cum dicimus; *Si Sol luceret, dies esset.*

Suppono octauò: fundamenta, quæ faciunt certam, aut probabilem tum existentiam absolutam antecedentis, tum connexionem eius cum consequente, non posse non facere quoque certam, aut probabilem existentiam absolutam ipsius consequentis, cum sit euidētissimum non posse existere absolute antecedens connexum cum consequente, quin absolute existat consequens. Oportet tamen, ut id ita fiat, quando antecedens est impartibile, quod sit illud certum, aut probabile, non solum quoad omnes partes, ex quibus coalescit, seorsum sumptas, sed etiam quoad coexistentiam omnium earum. Tum ut sit certum aut probabile non solum quoad existentiam propriam, & secundum se connexionem cum consequente seorsum, & secundum se spectatas, sed quoad coniunctum ex utraque indiuisim; alioquin consequens vi antecedentis, certum aut

aut probabile non euadet, quantumvis aut partes antecedentis, aut existentia, & connexio eius seorsim sumptæ sint certæ, aut probabiles. Cuius ratio ex dictis in promptu est, quia vt sit certum, vel probabile consequens vi antecedentis, id ipsum ex quo illud inferitur, debet esse certum aut probabile, non aliud quidpiam, vt notum est. Consequens autem, de quo agimus, non ex partibus antecedentis impartibilis, aut ex eius existentia, vel connexione sumptis seorsim, sed ex horum omnium aggregato inferitur: id ergo totum collectiue atque indiuisim certum, aut probabile debet esse, vt consequens euadat tale; nec satis est, vt sint certa, & probabilia seorsim singula, ex quibus coalescit eiusmodi aggregatum, utpote ex quibus spectatis seorsim, siue diuisim nullatenus inferitur consequens dictum.

47 Oportet tamen adnotare, hoc certitudinem à probabilitate differre; quod probabilitas partium bene potest componi cum improbabilitate totius, vt cernitur in duobus contradictoriis probabilibus, quorum coniunctum est impossibile, prout *suprà num. 44.* dicebamus. At verò certitudo partium cum incertitudine totius componi non potest. Imo totum ex duabus partibus coalescens nequit esse improbabile, quando altera earum certa, & altera probabilis est. Bene tamen si ex pluribus probabilibus, quantumvis etiam ex aliqua, aut aliquibus certis constet. Demonstremus cuncta suo ordine, supponendo duo principia, quæ sæpe in superioribus statuimus. Primum quando vnum ex duobus extremis contradictionis est certum, alterum necessario esse improbabile, neque probabile esse posse, nedum etiam certum. Secundum quando vnum ex dictis extremis est probabile, alterum quoque probabile esse posse.

48 Vnde sic primò. Sint partes certæ seorsim A. B. Dico coexistentiam ambarum non posse esse incertam, hoc est, aut probabilem tantum aut improbabilem, sed certam quoque esse debere. Si enim talis coexistentia posset esse probabilis; & eius defectus posset item esse probabilis, iuxta principium secundum. Sed non potest: ergo. Probo minorem. Quia nequit esse probabilis defectus coexistentiæ duarum dictarum partium, ni sit probabile aut vtramque, aut alteram determinatè, aut alterutram sub disiunctione deficere, vt constat. Sed nequit esse probabile aut vtramque, aut alteram determinatè deficere; quando certum est, vt supponitur, vnamque earum determinatè existere, seu non deficere. Ita enim fieret, vt ex duobus contradictoriis alterum certum, & alterum probabile esset contra principium primum, vt etiam constat. Nec potest esse probabile deficere alterutram sub disiunctione, quia cum sit certum, si quæ deficit, non esse. At quia certum est ipsum A. existere, vt supponitur, relinquatur fore probabile deficere B. idemque contra principium primum absurdum sequitur; quandoquidem etiam est certum ipsum B. existere, vt supponitur. Stantibus igitur certis A. B. seorsim, nequit earum coexistentia esse tantum probabilis, quod erat primum demonstrandum. Ex quo satis apparet multo minus talem coexistentiam in tali casu posse esse improbabilem. Sed demonstratur id insuper eodem pacto. Quia si talis coexistentia posset esse improbabilis, eius defectus posset esse non solum probabilis, sed certus, fieretque iuxta argumentationem factam, vt ex duobus contradictoriis alterum certum, & alterum non iam solum probabile, sed certum quoque posset esse, quod ma-

gis adhuc repugnat principio primo. Concluditur ergo certitudinem partium cum incertitudine totius componi non posse. Sed quando omnes partes seorsim acceptæ sunt certæ, & totam eorum collectionem, seu coexistentiam certam esse debere.

Hinc ad secundum. Sit pars A. certa, & pars B. probabilis. Dico existentiam ambarum nequitam posse esse improbabilem, sed probabilem esse debere. Nam si talis coexistentia posset esse improbabilis, eius defectus posset esse certus, iuxta principium primum. Sed non potest: ergo. Probo minorem. Quia si defectus talis coexistentiæ esset certus, certum esset aut vtramque, aut alteram dictarum partium determinatè, aut alterutram sub disiunctione deficere. Sed nequit esse certum aut vtramque, aut alteram determinatè deficere, supposito, quòd altera certò, & altera probabiliter existit: quia sequeretur contra principium primum ex duobus extremis contradictionis alterum certum, & alterum, aut etiam certum, aut probabile esse, vt arguebamus in simili *num. præced.* Tum neque potest esse certum deficere alterutram sub disiunctione. Quia cum sit certum, si quæ deficit, non esse A, quia ponitur A. certò existere, relinquatur fore certum deficere B. & sequitur idem absurdum cum sit probabile, vt etiam ponitur ipsum B. existere. Stat igitur si pars A. certa, & pars B. probabilis sit, vtriusque coexistentiam, seu totum coalescens ex vtraque præcisè, nequaquam posse esse improbabile, sed probabile esse debere.

Non sic res se habet, vt sæpe diximus, quando ambæ partes totius seorsim sunt tantum probabiles: tunc enim bene potest totum esse improbabile: Quo casu defectus eius, seu coexistentiæ partium poterit esse certus, quin aliquod sequatur absurdum. Quia vt talis defectus sit certus, sat est quod sit certum deficere alterutram partium sub disiunctione. Quod autem sit certum alterutram, sub disiunctione deficere, non potest facere, quod sit certum alteram deficere determinatè, quando de neutra determinatè est certum existere, vt euenit in præsentī: quo nulli absurdo locus datur; sicuti in præcedentibus casibus. Id quod in duobus contradictoriis seorsim probabilibus cernitur, quorum alterutrum sub disiunctione deficere certissimum est.

Quod si coniunctum ex duabus partibus seorsim probabilibus potest improbabile esse quoties duæ partes cuiusvis totius sumptæ seorsim fuerint probabiles, quantumvis alia, vel alia in eodem toto sint certæ, integrum totum poterit improbabile esse. Quod erat vltimum demonstrandum. Quoniam coniunctum ex illis duabus partibus probabilibus, quod est pars quædam maior talis totius, improbabile poterit esse: quo casu totum, quoque improbabile erit. Siquidem nequit non esse improbabile totum, cuius aliqua pars est improbabilis, vt *suprà num. 44.* statutum est. Id quod etiam perspicue apparet, si coniuncto improbabili duorum contradictoriorum seorsim probabilium aliquam, aut aliquas partes certas adiungas: totum enim, seu aggregatum ex his omnibus resultans indiuisim acceptum manifestè est impossibile, atque adeo improbabile, hoc ipso quod coniunctum ex duplici contradictorio inclusum in illo impossibile manifestè, subindeque improbabile est.

Præterea oportet adnotare, quando antecedens est partibile, vt consequens euadat certum aut probabile, sat esse, quod aliqua pars eius sit certa, aut probabilis: quia cum quælibet seorsim conducat ad

ad inferendum consequens, certitudo, aut probabilitas cuiuslibet sufficit ad faciendum consequens certum, aut probabile: dummodo coniunctum ex existentia talis partis, & ex connexionione eius cum consequente certum sit, aut probabile, hoc enim semper est necessarium; quia existentia antecedentis, & eius connexio cum consequente semper concurrunt collectivè ad inferendum consequens, nec diuisivè possunt concurrere. Adde tamen certitudinem, aut probabilitatem consequentis oriundam ab integro antecedente partibili maiorem esse, quàm oriundam à singulis partibus seorsim. Quia licet antecedens partibile non sit certius quoad existentiam, quo plures partes habet, eo quodd existentia rerum, sicut & essentia non suscipit magis, & minus, quoad connexionem termini cum consequente certius euadet, quo plures partes habet, quia connexio totius eo firmior, & maior est, eoque manifestius se prodit, quo plures sunt connexiones partium, ex quibus coalescit: ob id enim, quo plura ad idem testandum testimonia concurrunt, eo difficilius est ea esse fallacia, eoque subinde certius ea vera esse. Vnde rursus efficitur fieri posse, & sæpe de facto contingere, ut nulla pars antecedentis partibilis seorsim accepta sit certa, aut probabilis quoad connexionem cum consequente, & tamen aggregatum omnium certum aut probabile sit; certumque proinde, ac probabile faciat consequens ipsum. Passim enim videmus plura testimonia, aut plura indicia simul accepta fidem obiecti facere, illud reddendo probabile, aut etiam moraliter certum, quod non valebant præstare singula seorsim sumpta.

53 Hæc dicta de consequente absoluto. De conditionato dico vno verbo. Ut illud certum sit, aut probabile, sat esse, si connexio antecedentis cum illo certa, aut probabilis appareat, quodcumque demum sit tale antecedens; ipsum enim antecedens quoad existentiam, nec certum, nec probabile debet esse: quia ad inferendum consequens conditionatum opus non est quod antecedens indicetur, sed tantum quod supponatur in hypothesi; id quod cuiuslibet conceptui obiectivo quantumvis carenti fundamento, imo & quantumvis manifestè impossibili potest competere, ut notum est. Itaque ut sit certum conditionatè vi illationis exiturum calorem, si ignis extiterit, sat est quod ignis secundum se certo appareat cum calore connexus, quantumvis sit improbable, aut etiam impossibile exiturum ignem.

54 Suppono nonò quoties antecedens, aut eius connexio cum consequente, aut coniunctum ex his duobus improbable est, non posse non ipsum consequens euadere improbable, quantum est ex vi illationis ex tali antecedente: quia ex fundamento improbabilis non potest aliquod obiectum euadere probabile, ut est nouissimum: antecedens autem cum sua connexionione fundamentum immediatum est consequentis, ut liquet ex dictis. Tum fundamenta, quæ proximè non valent facere probabile antecedens cum sua connexionione, minus valebunt remotè facere probabile consequens, ut etiam notum est. Dixi verò, quantum est ex vi illationis ex tali antecedente, quia in hac questione tantum est sermo de probabilitate, aut euidencia consequentis oriunda vi illationis ex antecedente. Quidquid sit de euidencia, aut probabilitate, quam forsitan aliquando ipsum consequens habebit ab aliis fundamentis.

55 Suppono decimò. Ex contradictorio consequen-

tis eodem omnino modo sequi contradictorium antecedentis, atque ex antecedente sequitur consequens: quia, qua ratione antecedens connectitur cum consequente, eadem prorsus negatio consequentis cum negatione antecedentis connexa est. Vnde, si consequens inferitur ex antecedenti, euidenter ex contradictorio consequentis inferitur etiam euidenter contradictorium antecedentis, pariterque si probabiliter, aut improbabiler.

Ex his certissimis principiis facile erit præsentem questionem resolvere demonstratiuè, quoad omnes casus in ea contentos. Agetur autem in primis de consequente conditionato. Deinde de absoluto illato ex antecedente tum impartibili, tum partibili. In præsentem autem quidquid diximus, aut dicemus de certitudine, pariter de euidencia est intelligendum, & è conuerso; quia de vtraque est idem, quod ad rem attinet. Certitudinem autem, aut euidenciam vniuersaliter accipimus, prout moralem, physicam, & metaphysicam comprehendit.

Propositio 1.

Ex quouis omnino antecedente apprehenso in hypothesi per euidentem illationem consequens conditionatum euidenter inferitur, probabile autem per probabilem, & improbabile per improbabilem.

Ratio ex dictis est clara: quia data hypothesi, quod existat antecedens connexus cum consequente, manifestum est non posse non existere consequens: ergo quoties tali hypothesi facta connexio antecedentis cum consequente euidentis, aut probabilis est, non potest non euadere euidentis, aut probabilis existentia hypothetica ipsius consequentis, iuxta dicta num. 53. Quæ quidem existentia è contra improbabilis erit, quantum est ex vi illationis, iuxta doctrinam suppositionis 9. quando improbabilis fuxit dicta connexio, vtpotè, quæ sola integra ratio, seu fundamentum est suprà hypothesim inferendi consequens dictum, ut etiam constat ex dictis eodem num. 53.

Propositio 2.

Ex antecedente improbabili, si sit impartibile, consequens probabile inferri nequit, quantumvis illatio sit euidentis.

Sermo est iam in hac & consequentibus propositionibus de consequente absoluto absolute illato ex antecedente. Probatur autem facile propositio ex principiis iactis: quia quoties antecedens est improbabile quoad existentiam, quantumvis illud sit euidentis quoad connexionem cum consequente, in qua illatio nititur, nequibit non esse improbabile coniunctum ex ipsa existentia, & connexionione, iuxta doctrinam suppositionis 6. Sed quod infert consequens absolutum non est existentia antecedentis, aut eius connexio cum ipso consequente seorsim, sed coniunctum ex vtraque indiuisim, iuxta suppositionem 8. ergo quoties ob improbabilitatem existentie antecedentis, tale coniunctum est improbabile, non potest non consequens item improbabile euadere, iuxta suppositionem 9.

Quo eodem argumento monstratur, quoties illatio est improbabilis, quantumvis antecedens sit euidentis, non posse non consequens itidem euadere improbabile.

Quod si ex antecedente improbabili per euidentem illationem, aut ex antecedente euidente per illationem

illationem improbabilem non potest non euadere consequens improbabile, à fortiori non poterit non euadere tale ex antecedente improbabili per illationem probabilem, vel improbabilem, & ex antecedente probabili per illationem improbabilem.

61 Quoniam autem antecedens improbabile, quando est complexum, improbabile potest esse, quantumvis omnes eius partes seorsim sumptæ sint probabiles, vt verè possunt esse iuxta doctrinam *suppositionis* 6. aperte ex præsentis propositione sequitur fieri posse, vt conclusio euidenter illata ex pluribus opinionibus probabilibus improbabilis prorsus euadat: quod fiet quando ex illis indiuisim sumptis inferatur, & earum collatio sumpta indiuisum est improbabilis; tametsi singulæ seorsim probabiles sint. Hoc pacto ex opinione Scotica de distinctione formali ex natura rei, & ex alia satis communi, quæ probabiles sunt, euidenter inferatur conclusio hæretica, & consequenter improbabilis. Scotista enim asserunt diuina attributa inter se, & ab essentia Dei distingui formaliter ex natura rei. Reliqui Theologi asseuerant, quamlibet veram distinctionem à nostro intellectu non dependentem non posse non facere pluralitatem simpliciter realem. Ex quibus duabus probabilibus assertionibus collectiue sumptis manifestè sequitur in Deo præter personarum pluralitatem, aliam pluralitatem esse simpliciter realem. Quod est hæreticum. Passimque huiusmodi exempla in scientiis humanis occurrunt.

62 Agimus autè in casu propositionis de antecedente impartibili, siue incòplexo, siue còplexo. Quia quādo est complexum partibile, etsi illud collectiue sumptum sit quoad existentiam improbabile, bene poterit consequens ex illo illatum probabile euadere, si aliqua pars eius probabilis sit: eo quod partes huiusmodi, antecedentis non collectiue, sed diuisiue concurrunt ad inferendum consequens; vniuiusque subinde probabilitas ad consequentis probabilitatem potest sufficere, iuxta dicta n. 52.

Propositio 3.

63 Ex antecedente certo, seu euidenti tam partibili quam impartibili per euidentem illationem non potest non semper inferri consequens euidens, seu certum. Hæc propositio vel ex ipsis terminis est nota; quia quoties est certum antecedens existere, & illud cum consequenti connecti, ex se apparet, non posse non etiam consequens certum euadere. Sed insuper probari potest: quia quoties coniunctum ex existentia antecedentis, & ex eius cōnexionem cum consequente euidentis est, non potest non ipsum consequens euidentis esse, iuxta doctrinam statutam *supp.* 8. Sed quoties partes coniuncti sunt certæ aut euidentes, non potest non esse certum, aut euidentis coniunctum, iuxta ibidem adnotata n. 48. ergo quoties antecedens quoad existentiam est certum, atque etiam quoad connexionem cum consequente, non potest non consequens ipsum certum euadere.

Propositio 4.

64 Ex antecedenti probabili tam partibili, quam impartibili per probabilem illationem, aut improbabile consequens, aut probabile inferri potest; de factoque inferatur sæpe sæpius.

Demonstratur ex fundamentis suprà iactis: quia fieri potest, vt tam existentia antecedentis, quam

Pharus Scient. Tom. I.

eius cōnexio cum consequente seorsim sumptæ sint probabiles, & nihilo minus coniunctum ex vtraque sit improbabile, iuxta doctrinam *suppositionis* 6. Sed quando tale coniunctum est improbabile non potest non consequens ex illo euadere improbabile iuxta doctrinam *suppositionis* 9. ergo. Deinde fieri potest, vt non solum existentia antecedentis, & eius cōnexio cum consequente seorsim probabiles sint, verum etiam coniunctum ex vtraque, vt constat, (quippe probabilitas partium non adueriatur probabilitati totius, tametsi eam necessario non inferat) sed quando coniunctum ex existentia antecedentis, & cōnexionem eius cum consequente est probabile, non potest non euadere probabile consequens, iuxta doctrinam *suppositionis* 8. ergo. Vnde patet quando ex antecedente probabili per probabilem illationem consequens inferatur probabile; & quando non item, sed improbabile. Etenim ex prædeterminatione Thomistica, cuius existentia est probabilis per probabilem illationem inferatur negatio nostræ libertatis, quæ negatio est improbabilis; quia quamuis existentia prædeterminationis, & cōnexio eius cum negatione libertatis seorsim sumptæ sint probabiles, coniunctum tamen earum prorsus improbabile est. E contra verò sæpius accidit in scientiis humanis, vt ex antecedente probabili per probabilem illationem euadat consequens probabile: quia non solum existentia antecedentis, & eius cōnexio cum consequente seorsim, sed coniunctum ex vtraque probabile est. Adde, etsi huiusmodi coniunctum aliàs esset probabile, ab opposito fundamento superueniente improbabile reddi posse, iuxta *suppositionem* 2. quo casu consequens ex illo deductum reddetur pariter improbabile. Sed hoc commune est omni obiecto, quod à fundamentis superuenientibus ex probabili redditur improbabile.

Et quoniam antecedens partibile quoad sui cōnexionem cum consequente, bene potest esse probabile, etsi omnes eius partes seorsim quoad talem connexionem sint improbabiles, iuxta doctrinam statutam n. 52. Sequitur planè etsi omnes partes talis antecedentis sumptæ seorsim quoad connexionem cum consequente improbabiles sint; posse nihilominus consequens ex integro antecedente illatum probabile euadere.

Verum contra propositionem nostram potest 66 opponi. Ex contradictorio consequentis sequitur contradictorium antecedentis: ergo quando contradictorium consequentis est certum, contradictorium antecedentis est quoque certum, atque adeo ipsum antecedens nequit esse probabile: ergo nunquam ex antecedente probabili potest inferri consequens improbabile, cuius contradictorium sit certum. Distinguo antecedens; ex contradictorio consequentis sequitur contradictorium antecedentis eo modo, quo ex antecedente sequitur consequens, concedo: aliter nego; & nego vtramque consequentiam: recale decimam suppositionem n. 55. Cum igitur in casu propositionis ex antecedente probabili sequatur probabiliter consequens, ex contradictorio consequentis sequetur tantum probabiliter contradictorium antecedentis; atque ita quantumvis sit certum contradictorium consequentis, contradictorium antecedentis erit tantum probabile, vtpote illatum ex illo tantum probabiliter, iuxta doctrinam propositionis sequentis. Quo superest locus, vt antecedens sit probabile, vti in casu propositionis supponitur.

O

Propo

Propositio 5.

67 Ex antecedente certo, vel euidente, quodcumq; illud sit, per probabilem illationem consequens probabile inferri potest. Improbabile verò minime, sicut neque certum, vel euidens.

Prima pars propositionis constat ex præcedente. Nam si per illationem probabilem potest consequens probabile inferri ex antecedente probabili, multo melius inferri poterit ex euidenti, aut certo: & ratio est, quia quando existentia antecedentis est certa, & eius connexio cum consequente probabilis, coniunctum ex utraque bene potest esse probabile, iuxta doctrinam præmissam n. 49. quoties autem coniunctum ex existentia antecedentis, & connexione eius cum consequente probabile est, consequens euadit probabile, iuxta *suppositionem* 3.

68 Secunda pars propositionis à priori ostenditur: quia ut vidimus dict. n. 49. coniunctum ex duabus partibus, quarum altera certa, & altera probabilis est, nequit esse impossibile, sed probabile debet esse. Igitur quando existentia antecedentis est certa, & eius connexio cum consequenti probabilis, ut in nostro casu, nequit coniunctum ex utraque non esse probabile; & consequenter consequens ex tali coniuncto non potest euadere impossibile, iuxta doctrinam *supposit.* 8. sed demonstramus insuper eandem propositionis partem pulchra demonstratione. Si consequens possit esse impossibile, in casu posito contradictorium consequentis poterit esse certum: sed repugnat in casu posito contradictorium consequentis esse certum: ergo & repugnat consequens esse impossibile. Maior est notissima, & consequentia necessaria: proba minore. Certissimum est tria hæc simul coniungi non posse, nempe quod existat antecedens, & quod illud sit verè connexum cum consequente, & quod consequens non existat, seu quod existat eius contradictorium: igitur quoties fuerit certum duo horum existere, certum quoque erit tertium deesse: est clarum, quia quoties certo constat duo aliqua, vel plura esse incompatibilia ex positione certa vnius extremi arguitur citra omne dubium defectus alterius. Sed in casu propositionis existentia antecedentis est certa: ergo si ponatur etiam certa existentia contradictorii consequentis, non poterit non esse certus defectus connexionis antecedentis cum consequenti, atque adeo talis connexio non poterit esse probabilis, subindeque neque illatio fundata in illa contra suppositionem casus. Stante igitur antecedente certo, & illatione probabili, uti supponitur in casu, repugnat prorsus, quod sit certum contradictorium consequentis, atque adeo & quod ipsum consequens sit impossibile, quod erat demonstrandum.

69 Iam verò tertia pars propositionis conspicua est: quia nisi coniunctum ex existentia antecedentis, & ex connexione eius cum consequente sit certum, consequens nequit certum euadere, iuxta doctrinam *suppositionis* 8. tale autem coniunctum in casu propositionis certum non est, iuxta dicta n. 44. eo quod altera pars eius certa non est, sed tantum probabilis.

Propositio 6.

70 Ex antecedente probabili, quodcumque illud sit, per euidenter illationem consequens probabile inferri potest. Improbabile non item, sicut neque euidens.

Prima propositionis pars ex *propositione* 4. etiam est nota: quia si ex antecedente probabili consequens probabile potest deduci per probabilem illationem, multo melius poterit per euidenter. Pro quo eadem ratio militat, quam adduximus pro prima parte propositionis præcedentis. Secunda etiam pars huius proinde ac secunda præcedentis demonstranda venit. Tum quia coniunctum ex existentia probabili antecedentis, & ex connexione euidente eius cum consequente nequit euadere impossibile, ut causet consequens impossibile. Tum quia in præsentī casu æquē, ac in præcedente, non potest contradictorium consequentis certum esse, quin antecedens sit impossibile contra suppositionem casus, prout ibi argumentati sumus; & consequens nequit esse impossibile, nisi cum ipso sit compatibilis certitudo contradictorii. Iam tertia pars huius propositionis perinde etiam, ac tertia præcedentis probanda est.

Ex quibus patet discrimen inter casum *propositionis* 4. & casus 5. & 6. nam in his ex eo quod ponatur certum contradictorium conclusionis, destruitur casus, ut vidimus, in illo verò non item; quia in illo posita certitudine contradictorii consequentis, cum tam existentia antecedentis, quam eius connexio cum consequente maneant incerta, neutrius eorum determinate deducitur certus defectus, sed alterutrum tantum sub distinctione, cum quo componitur optime, ut vtrumque maneat probabile, sicut cum necessario defectu alterutrum ex duobus contradictoriis componitur optime probabilitas vtriusque. Etenim cum certò constet, ut dicebamus existentiam antecedentis, & connexionem eius cum consequente, & contradictorium consequentis simul censitere non posse, quando duo horum ponuntur certa, non potest non esse certus determinate defectus residui: quando verò vnum tantum ponitur certum, alterutrum residuum sub distinctione erit certus defectus: quo locus supererit, ut ambo permancant probabiliter determinate. Vnde obiter colligo non posse eundem intellectum iudicare existere antecedens, & connexionem eius cum consequente, & iudicare simul non existere consequens, quia euidens est tria hæc simul coherere non posse. Ex quo rursus inferitur virum Catholicum, qui certo tenet in nobis esse libertatem, ne probabiliter quidem posse iudicare simul dari in nobis physicam prædeterminationem, & eam libertati aduersari; etiam si vtrumque seorsim probabile sit, à quolibetque subinde intellectu seorsim iudicabile: quemadmodum sæpe etiam duo contradictoria seorsim probabiliter, atque iudicabilia sunt, & tamen vtrique simul nemo assensum potest.

Ex dictis colligitur consentaneè ad ea, quæ inferebamus *numm.* 65. etsi omnes partes antecedentis partibilis quoad connexionem cum consequente, seorsim sint incertæ, aut etiam impossibiles, posse totum antecedens quoad connexionem esse euidens; atque adeo consequens posse euadere probabile, aut etiam euidens, si sit euidens tale antecedens etiam quoad existentiam.

Liquet igitur ex dictis in tota questione, quando ex antecedente certo, aut probabili fas sit inferre conclusionem probabilem; & quando non item. Sed solum restat adnotandum, quæcumque de probabilitate sunt dicta, æquē esse vera, siue probabilitas

Disp. VII. De dep. à vol. int. & c. Quæst. I. 1,9

litas oriarur ex fundamentis rei intrinsecis: siue ex extrinsecis Doctorum auctoritate, quia de utraque probabilitate est eadem impræsentiarum ratio.

74 Multa hic sequebantur dicenda de usu opinionum probabilium in ordine ad mores: quæ tamen & aliena sunt à præsentis instituto, & à principiis ab ipso quoque alienis dependent. Ob id ea nunc prætermitto, videnda in nostro opusculo de Conscientia. Vbi de illis fusè.



DISPUTATIO VII.

De dependentia à voluntate intellectus humani.



1 ON potest hæc disputatio præmitti: conduit enim non parum ad institutum præsentis operis bene noscere, quo pacto intellectus in suis actibus imperio voluntatis subditus sit.

QVÆSTIO I.

Quæ ratione intellectus in suis actibus eliciendis subdatur dominio voluntatis?

2 PRO exacta huius questionis resolutione nonnullæ imprimis hypothesès præmittendæ sunt.

Hypothesis 1.

3 Nullus est actus voluntatis, qui ab aliqua intellectione non pendeat. Intellectio autem ad actum voluntatis non effectiue, sed illuminatiue concurrir.

Prima pars apud omnes est in confesso, iuxta illud axioma satis vulgatum. *Nihil volitum, quin præcognitum.* Et constat manifesta experientia. Apertè enim experimur nihil nos posse velle, aut nolle, quod prius non cognoscimus. Ratione autem potest probari. Primò, quia voluntas per affectum non potest ferri intentionaliter nisi in obiectum sibi intentionaliter præsens, quemadmodum agens physicum, nisi in passum sibi physicè præsens nullatenus suam actionem potest inducere. Sed nequit voluntas facere sibi præsens obiectum, cum potius in illud feratur, quam illud ad se trahat suapte natura: ergo debet illi fieri præsens per intellectum, cuius muneris est obiectum repræsentare, & trahere. Indiget igitur voluntas intellectione obiecti præuia, vt circa illud per affectum possit versari. Secundò, quia voluntas, nisi mota ab obiecto, in suos actus prodire nequit. Ab obiecto autem moveri nequit, nisi media ipsius cognitione. Cum ab illo non quidem physicè, sed intentionaliter, atque adeo quasi moraliter moueatur. Ob id enim bonum, & malum non prout physicè existentia, sed prout intentionaliter præsentia, seu apparentia obiecta motiua sunt voluntatis. Et quidem esse possibilem potentiam cæcam, quæ sine alterius ductamine nequeat suis actibus incedere, plurquam euident est. Talem autem esse voluntatem cum intellectu comparatam nemini

Pharus Scient. Tom. I.

ni est dubium. In quo proinde amplius non oportet morari.

Secunda autem pars hypothesis non adeo est certa. Nam licet eam plerique teneant, vt sunt Scot. in 2. dist. 25. q. 1. Capreol. ibid. q. 1. Ferrar. lib. 1. contra Gent. cap. 44. Valsq. 1. 2. disp. 36. cap. 3. Soar. ibi. disp. 6. sect. 6. Mont. disp. 13. q. 4. Gasp. Hurt. disp. 3. de actib. diff. 9. Petr. Hurt. disp. 14. de anim. sect. 6. Arriag. disp. 7. de anim. n. 50. & 55. & alij Recentiores communiter. Oppositum tamen tenet Salas 1. 2. tractat. 1. disputat. 5. section. 3. cum Greg. Gab. Ocha. Caiet. Contr. & aliis à se, & pro se relatis.

Probatum tamen nihilominus primò: quia non sunt multiplicandæ rerum virtutes, & influxus absq; necessitate aliqua, aut congruentia, seu vtilitate. Sed nulla est necessitas, neque congruentia, aut vtilitas tribuendi nostris intellectibus virtutem effectiuam, influxumque in actus nostræ voluntatis: ergo talis virtus, & influxus neganda sunt. Secundò: quia potius sunt multæ congruentiæ ad asserendum nostram intellectiõnem aliter, quam effectiue concurrere; nimirum illuminando voluntatem, & quasi ostendendo ei viam, per quam ambulet, & proponendo obiectum, in quod tendat. Primum enim hic modus concurrendi nullibi in natura rerum reperitur, præterquam in cognitione respectu actus potentia appetentis: congruum autem est vt natura hoc genere cõducentia non sit orbara. Accedit analogia cum rebus moralibus, seu humanis, quam res physica, vt implurimum seruare solent. In illis enim hoc genus cõcurrendi reperitur, vt patet, dum vnus homo consilio, præcepto, exhortatione, aut ductu alium hominem iuuare solet ad aliquid patrandum. Deinde natura voluntatis ea est, vt per modum cuiusdam ponderis in suum obiectum feratur medio suo effectui. Ergo sicut physicum pondus absq; effectiuo concursu alterius causæ particularis fertur in centrum; ita expedire videtur, vt voluntas absque effectiuo concursu cognitionis se demittat in obiectum. Præterea cognitio approximatio quædam est intentionalis, qua obiectum, tanquam materia approximat voluntati, tanquam efficienti. Ergo quemadmodum approximatio physica & localis subiecti, & efficientis congruentissimè ab omnibus ponitur vt conditio, non verò vt principium effectus. Sic pariter de cognitione philosophandum est. Et quidem nihil aptius inter condiciones cauendi, non verò inter causas censetur, quam id, quod per modum approximationis qualibet ratione se habet. Denique certum est apud omnes obiectum cognitum ad actus etiam voluntatis concurrere, non quidem physicè efficiendo, cum sæpe illud physicè non existat, sed intentionaliter mouendo media sui cognitione. Igitur neque cognitio physicè efficiendo concurrir, sed tantum illuminando, dirigendo, seu proponendo obiectum, in quod voluntas per suum actum à se sola causatum physicè mouenda est. Postremò si cognitio physicè influeret in actum voluntatis, quoties variaretur cognitio, penes maiorem, aut minorem obiecti expressionem, aut aliter, & ipse quoque actus voluntatis, & eius actio variaretur. Hoc autem falsum censendum est: tum quia sine necessitate non sunt tot actus, aut actiones multiplicandæ: tum quia talis multiplicatio aliena ab experientia videtur. Mitto alias rationes, quibus Valsq. probat assumptum: quia mihi inefficaces sunt.

Sed obijciunt aduersarij primò Aristot. lib. 3. de anim. text. 55. Vbi asserit primum mouens

O 2 immo

immutum esse ipsum amabile, mouens autem motum esse appetitum: ergo sentit cognitionem, aut obiectum cognitum efficienter mouere voluntatem; sicuti ipsa voluntas efficienter mouet se ipsam. Nego consequentiam: quia ad veritatem verborum Philosophi latis est motio intentionalis, qua obiectum representatum dicitur voluntatem mouere, quatenus eam allicit: & inuitat ad eliciendum actum. Præterquam quod Arist. non de cognitione, sed de obiecto dumtaxat loquitur, de quo certum est apud omnes non mouere physicè voluntatem, sed intentionaliter tantum.

7 Secundò opponunt August. qui passim in *lib. de Trinit.* Sed potissimum *lib. 1. cap. 23. & 26.* docet, amorem procedere à scientia, & notitia. Quo etiam modo loquendi vtuntur Bern. *lib. de interiori domo cap. 68.* & Richard de S. Viç. *tract. de contemp. mundi part. 1. cap. 20.* Ergo ex sententia horum Patrum notitia, seu cognitio ad amorem efficienter concurrat. Nego consequentiam: quia Patres prædicti tantum denotant, cognitionem aliquo pacto concurrere ad existentiam amoris. Quod verum est, vt constat ex dictis.

8 Tertio obiciunt. Affectus voluntatis quoad specificationem habet aliquam causam efficientem, cum verè sit effectus quidam: sed non aliam, quam intellectum, siue eius cognitionem, à qua determinatur voluntas, quoad specificationem sui actus, vt docet S. Th. 1. 2. *quest. 9. art. 1.* Ergo Respondendo, affectum voluntatis ab ipsa, & ab obiecto specificari, aut etiam à modo tendendi sibi proprio. Cognitionem autem eatenus determinare voluntatem ad hanc speciem actus, potius, quam aliam, quatenus ei hoc proponit obiectum, potius quam aliud, aut hoc potius, quam alio modo proponit. Quod tantum voluit S. Th. loco citato. Et quidem à nobis S. Th. stare aperte cernitur in loco ipso relato; clare tamen 1. *part. q. 27. art. 4. & q. 82. art. 4. & quest. 22. de verit. art. 12.*

9 Quarto obiciunt. Intellectus inducit, & inclinat voluntatem ad affectum. Ergo causaliter efficienter affectum. Concesso antecedente, distinguo consequens. Efficienter moraliter admitto: physicè nego.

10 Quintò, Verbum diuinum est principium productiuum amoris notionalis, siue Spiritus sancti. Ergo etiam verbum nostrum creatum, siue cognitio erit principium actiuum affectus voluntatis. Concesso antecedente, nego consequentiam. Quia Verbum diuinum vt pote eiusdem naturæ & essentia cum Patre, habet etiam eandem virtutem productiuam amoris notionalis, quam habet pater. At verbum creatum, sicut non participat eandem naturam, quam habet intelligens, à quo profertur, ita neque habet virtutem amoris, quam habet ipse intelligens per voluntatem. Aliaque multa sunt discrimina de quibus alibi.

11 Sextò denique obicitur. Intellectus inuatur alio principio efficiente, nimirum specie impressa ad eliciendam intellectionem. Ergo & voluntas pariter inuanda erit cognitione, vt principio efficiente. Concesso antecedente, nego consequentiam. Quoniam ad tribuendum concursum effectiuum speciei impressæ comparatione cognitionis, alia sunt coniectura, & congruentia, quæ in cognitione non reperiuntur, qualque tetigimus *suprà disp. 1. quest. 2. num. 204.* Ex autem congruentia, ob quas efficientiam cognitioni negamus, non inueniuntur in specie: quia species neque est illuminatio formalis potentia ad cuius actum concurrat; ne-

que est propositio obiecti, neque approxinatio eius intentionalis. Neque intellectus se gerit vt pondus, sicut voluntas, sed potius vt concipiens, quo iure semine obiecti, qualis est species, eget ad concipiendum suos cõceptus; proprium est autem seminis concurrere effectiue ad factum. Ex quibus patet iure optimo cognitioni efficientiam negari in affectum voluntatis, quæ conceditur speciei impressæ in actum intellectus.

Hypothesis 2.

Intellectus noster in multis suarum operationum voluntati subditus est.

Ita sentiunt omnes Philosophi, atque Theologi; & est certissimum, cum vel ipsa experientia monstret persæpe homines voluntarie cogitare, quæ cogitant, concipereque, quæ concipiunt, aut etiam iudicare, quæ iudicant. Alioquin nulla eis cogitatio, nulla conceptio, nullum iudicium imputabilia essent aut ad pœnam, aut ad præmium. Quod est absurdum.

Et quidem ad eliciendum actum fidei diuinæ intellectum à voluntate pendere, eiusque indigere iuuamine, constanter asseuerant omnes Theologi. Exprimuntque Augustin. *tractat. 26. in Ioann.* dum ait. *Multa potest homo facere non volens, credere autem non potest nisi volens.* Et Bernar. *lib. 5. de consid. cap. 6.* vbi habet. *Fides est voluntaria quedam, & certa pralibatio nondum propalata veritatis.* Id, quod etiam supponitur in Concilio Araucano 2. *can. 5.* & deducitur ex Trident. *sess. 6. cap. 6.* & ex Script. *ad Rom. 1. Añor. 6. & 2. ad Corinth. 10.* Neque sufficit ad actum fidei eliciendum, quod voluntas permissiue se habeat, sed positio imperio opus est, vt contra Scot. in 3. *dist. 25. quest. 2.* & contra Henr. *quodl. 5. quest. 21.* docent communiter Theologi; atque ex citatis locis colligitur. Itaque proposito sufficienter obiecto credibili, indifferens manet intellectus ad credendum, & non credendum, aut etiam ad discredendum, donec per voluntatis imperium determinatur, vt colligitur ex Script. *Añ. 17. & 18. Marc. ultim.* aliisque ex locis. Imperium autem voluntatis imprimis requiritur ad credendam fidem humanam existentiam reuelationis, in quo Theologi conspirant: an verò insuper ad fidem ipsam diuinam de obiecto reuelato aliud imperium requiratur, sub controuersia est. Negant Scot. in 3. *dist. 25. quest. 2.* & Vals. in *manuscriptis quest. 4. art. 2.* Affirmant Gasp. Hurt. *disputat. 4. de fide diff. 2.* & alij. De quo nos *infra*.

Hypothesis 3.

Intellectus noster in aliquibus suarum operationum non dependet, neque dependere potest à voluntate.

Est certum, quia cum voluntas nostra, vt pote cæca, nullam intellectus operationem possit sua volitione imperare, quin illam præconciptat, seu præcognoscat, iuxta doctrinam *hypoth. 1. ne progressus infinitus sequatur, necessarium omnino est, quod in vnoquoque negotio, siue materia dentur aliquæ cogitationes, seu cognitiones primæ, quibus intellectus voluntatem præueniat, quæque subinde nequitiam voluntarie sint, seu dependentes à voluntate, vt perspicue docet Arist. lib. 7. Ethic. sub finem, & cum eo S. Th. 1. *p. q. 82. art. 4.* & omnes Theologi vnanimiter.*

Hypothe

Hypothesis 4.

15 Intellectus noster quoad eos actus, in quibus voluntati subicitur, non vno duntaxat, sed multis modis potest ab illa dependere.

Primum enim bifariam potest voluntas ad actum intellectus concurrere, nempe aut causando illum, seu faciendo, quod ille existat; aut permittendo illum, seu non impediendo, cum posset. Eisdemque ferè modis potest concurrere ad carentiam actus. Causat voluntas actum intellectus, seu facit, quod existat ille, imprimis per imperium efficax eius; quod nihil est aliud, quam volitio efficax, qua vult voluntas, vt talis actus intellectus existat. Tale autem imperium, sicut & cetera huiusmodi, non physice, sed quasi moraliter influere in actum imperatum, excitando scilicet, siue mouendo potentiam eius, vt physice illum efficiat, alibi à nobis ex professo probandum est. In quod ferè faciunt omnia, quæ adduximus *hypoth. 1.* ad probandum concursum quasi morale cognitionis in actum voluntatis. Itaque quemadmodum homo volens efficaciter ambulare potentiam ambulatiuam voluntati subditam mouet, vt ea ambulationem physice efficiat, sicque imperio suæ voluntatis dicitur homo ambulationem causare, facerè, quod existat illa; ita homo volens efficaciter intelligere, potentiam intellectiuam voluntati subditam mouet ad physice eliciendam intellectionem; sicque dicitur suo imperio intellectionem ipsam causare, seu facere, quod illa existat. Deinde, quoties ex intellectione imperata alia, vel alia, vel plures conaturaliter sequuntur, & has quoque dicitur voluntas causare mediata, dum imperat illam; præsertim si præuidit aliquo modo, reliquas ex imperata sequendas fore, quæ præuisio necessaria est omnino, vt illæ sint voluntariæ, atque imputabiles voluntati vt constat.

16 Iam verò tunc voluntas intellectionis actum permittit, quando potens impedire existentiam eius per positionem alicuius impedimenti, illam non impedit sciens, & prudens, hoc est prænosces actum exiturum; si non impediatur: est autem impedimentum actus intellectus, tum alius actus intellectus, aut illi oppositus, aut cum illo incompatibilis quoquomodo. Tum actus voluntatis illi repugnans, vt volitio efficax eius, aut volitio carentiæ ipsius. Tum denique quilibet aliud cum tali actu in rerum natura simul non componibile.

17 Carentiam autem actus dicitur causare voluntas, quando illam vult efficaciter, aut aliud quid à se dependens, ferensque secum annexam talem carentiam. Permittere verò carentiam ipsam dicenda est, quando potens illam à medio tollere per positionem alicuius non compatibilis cum ea, illud non ponit nihilominus sciens, & prudens.

18 Porro, quæ positiue causat voluntas, ea utique tam necessario, quam libere potest causare. Quæ verò duntaxat permittit, libere tantum potest permittit, quia permissio secum fert libertatem impediendi, quod de facto non impeditur, cum ille dicatur permittit, qui potens impedire non impedit.

19 Vtrum autem tam id, quod voluntas permittit, quam id quod causat libere, sit ipsi voluntarium, & imputabile; pendet ex aliis principiis tradendis suo loco. Id certum modò; causationem liberam semper voluntati imputari: permissionem autem tunc saltem, quando obligationem habet non permittendi.

Pharus Scient. Tom. 1.

Hypothesis 5.

Intellectus noster ne physice quidem potest aliquid iudicare, quantumuis accedat voluntatis imperium, nisi ad illud iudicandum habeat fundamentum sufficiens.

Est certum, traditumque ab Arist. *lib. 3. de anim. cap. 3.* ob id enim ego non possum iudicare modo adhuc ex voluntatis imperio, aut esse parem, aut esse imparem numerum stellarum: quia ad neutrum iudicandum habeo sufficiens fundamentum. Dicitur autem fundamentum sufficiens ad iudicandum obiectum, quod ita est ex se notificatum eius, vt illo posito intellectus adiutus saltem voluntatis imperio in iudicium talis obiecti prodire possit.

Fundamentum autem ad iudicandum obiectum, siue propositionem obiectiuam in vniuersum, aut sunt termini ipsi apprehensi, cum propositio est immediata, seu per se nota; aut est aliud quid prius iudicatum, cum propositio est mediata, seu nota per aliud, vt sæpe sæpius notauimus, atque notabimus in hoc opere.

Hypothesis 6.

Bifariam potest esse potentia determinata ad actum, nempe quoad speciem, & quoad exercitium. Totidemque modis potest esse ad actum indifferens.

Dicitur determinata ad actum quoad speciem, quando tantum potest elicere actum talis speciei, non verò actum alterius, præsertim oppositæ. Quoad exercitium autem determinata dicitur esse, quando ab exercitio actus abstinere non potest. Vnde indifferens quoad speciem erit quando actus plurium specierum etiam oppositarum potest elicere. Indifferens autem quoad exercitium, quando & actum elicere, & eum omittere, seu non elicere potens est.

Hypothesis 7.

23 Multa eorum, quæ in superioribus de intellectione humana exposuimus, in presenti sunt supponenda: atque adeo etiam, si fuerit opus, recolenda.

Nimirum, quod intellectio humana in simplicem apprehensionem, iudicium, & discursum diuiditur. Quod apprehensionum simplicium alia primariæ sunt, alia secundariæ; & ex vtriusque quadam sensuibus gignuntur, quadam nascuntur ab speciebus in memoria asservatis: ex secundariis autem alia memoratiuæ sunt, alia non item. Tum apprehensio simplex, aut constitutiua hypothesis, aut non constitutiua esse potest, &c. Quod iudicium aut euidens, aut non euidens esse potest. Euidens autem, aut physice, quia omnem formidinem excludit; aut moraliter: quia solum excludit prudentem. Non euidens etiam, aut excludens casu formidinem defectu aduertertiæ examinis; aut non excludens. Quod iudicium insuper aut certum potest esse, aut incertum. Certitudo autem illius aut potest esse subiectiua consistens in immunitate à formidine; eaque sicut euidencia, vel moralis, vel physica: aut potest esse formalis consistens in necessitate veritatis; eaque vel metaphysica, vel physica, vel moralis. Iudicium autem incertum, aut probabile, aut improbabile potest esse. Quod in discursu illatio, quæ vel consistit, vel nititur in iudicio, plerumque tacito de connexionem

O 3 antece

antecedentis cum consequente, totidem modis potest esse evidens, aut non evidens: certa aut incerta, probabilis, aut improbabilis. Et alia huiusmodi.

Progressio ad resolutionem quaestionis.

Propositio 1.

24 Præter primas apprehensiones, in quibus intellectus prævenit voluntatem, iuxta doctrinam *hypothef. 3.* in plerisque reliquis intellectus voluntati subditus est.

Hæc propositio satis est certa, cunctisque vel experientia ipsa satis est nota; ut tamen distinctius notescat. Animadvertere oportet. Primam siue primariam cuiusque obiecti apprehensionem sub libertatem voluntatis non posse cadere, quia, ut eam voluntas causeret liberè proximè, vel remotè, deberet illam præcognoscere, & consequenter obiectum eius. Vnde ea & esset prima: quia supponimus, & non esset prima, quia alia eiusdem obiecti præcederet. Quod est absurdum. Dico *sub libertatem voluntatis*: quia sub aliquam causalitatem remotam voluntatis, ipsi tamen non liberam, quia non præuisam, primariæ multorum obiectorum apprehensiones cadere possunt, & sæpe cadunt. Ut quando voluntas liberè applicat intellectum ad cogitandum de aliquo obiecto, inleque excitatur ille ad concipiendum alia, quæ nunquam eo usque venerant in mentem cogitantis.

25 Iam verò acquisita naturaliter quovis ex dictis modis prima cuiusque obiecti apprehensione, mox excitari solet intellectus ad concipiendum quasi reflexè, tale obiectum cognoscibile, aut speculabile esse distinctius, & clarius, ex qua conceptione moveri potest voluntas ad applicandum intellectum, ut de tali obiecto distinctius cogitet, aut ut discurrat circa illud. Tum excitari solet frequenter conceptus universalis, siue confusus, quo tale obiectum concipitur ut habens aliquas proprietates, seu affectiones ab intellectu vestigabiles; vel ut habens aliquas partes, seu species ab intellectu distinguibiles. Vnde voluntas sufficienter manet instructa ut intellectum moveat ad vestigandas obiecti affectiones; aut ad diuidendum illud in suas quasque partes. Semel autem applicato intellectui ad speculandum obiectum, siue ad consultandum de illo, assatim excitantur naturaliter species aliorum obiectorum, quæ vel sub priore continentur, vel ad eum pertinent quoquo modo, cum eoque affinitatem aliquam, vel analogiam, vel oppositionem habent: quæ quidem per cognitionem primam, aut nullo modo, aut sub conceptu tantum confuso voluntati innoverant.

26 Sed dubitari potest, an ut voluntas efficaciter velit, quod intellectus attentius, distinctiusve concipiat obiectum, vel, quod speculetur, siue discurrat circa illud, sufficiat simplex apprehensio, vel prærequiratur iudicium de possibilitate, ac bonitate talium actuum. Duplex ad rem sententia est in materia de actibus humanis. Prima assentientium voluntatem bene posse ferri efficaciter in obiectum simpliciter tantum apprehensum. Secunda, quæ mihi magis arridet, id negantium, præquirentiumque iudicium de obiecto ad hoc,

ut voluntas efficaciter, seu per effectum efficacem veretur circa illud. De quo in ea materia. Igitur in præsentia, iuxta primam sententiam, bene poterit voluntas imperare efficaciter quemlibet actum intellectus ducta simplici apprehensione de tali actu. Iuxta secundam verò non item, sed iudicium de illo prærequiratur. Quod si sit primum in sua serie, exemptum prorsus ab opposita formidine debet esse, ut concipiatur ab intellectu naturaliter absque indigentia alterius imperij, iuxta dicenda postmodum. Alioquin nullum esset iudicium primum, in infinitumque abiretur in serie iudiciorum, & imperiorum.

Propositio 2.

27 Ut intellectus determinetur quoad exercitium ad quodvis iudicium physicè incertum subiectivè, imperio efficaci indiget voluntatis.

Ita videntur sentire Doctores communiter: & probatur primò: quia non alia de causa ad actum fidei diuina prærequiritur pius voluntatis affectus, qui imperium ipsum efficax est, vel de ipso actu fidei, vel de iudicio prævio revelationis, vel de utroque, iuxta doctrinam statutam *hypothef. 2.* nisi quia huiusmodi iudicia incerta sunt physicè subiectivè; tamen si sint certa moraliter, eo quod formidinem oppositam physicam secum compati possunt, etiam prudentem & cordatam non compatiuntur. Ergo tantumdem censendum est, & sæpe multo potiori iure, de aliis iudiciis physicè incertis subiectivè.

28 Secundo: quia sicut voluntas se habet circa bonum & malum, ita fermè intellectus se habet circa verum, & falsum. Ergo quemadmodum apparentibus in obiecto ratione boni, & ratione mali indifferens manet voluntas ad illud volendum, & non volendum: eo quod ratio boni proposita ad volitionem inclinat, ab eademque declinat, siue retardat ratio mali etiam proposita. Ita pariter propositis fundamentis ex se sufficientibus, altero ad assentiendum obiecto taquam vero; & altero ad dissentendum eidem tanquam falso, aut saltem ad formidandum de illo, indifferens manet intellectus ad assentiendum, & non assentiendum: eo quod fundamentum ad assentiendum ad assensum inclinat ab eodemque declinat, siue retardat fundamentum ad dissentendum, atque etiam affine ei, in eandemque partem vergens fundamentum ad formidandum. Hoc differunt voluntas, & intellectus, quod illa utpote potentia libera se ipsam potest pro arbitratu determinare ad eliciendam, vel omittendam volitionem. Intellectus verò utpote potentia non libera extrinseco aliquo, prævioque determinatio eget in casu posito ad assentiendum obiecto, vel non assentiendum. Quod aliud esse non potest præter imperium voluntatis, aut eius carentiam. Concluditur ergo huius modi imperio egere intellectum, ut ad quodvis iudicium physicè incertum subiectivè determinetur, quale est quodcumque fertur in obiectum habens pro parte opposita fundamentum ex se sufficiens aut ad dissentium, aut ad formidinem ipsi iudicio oppositam. Pariterque ad omittendum tale iudicium talis imperij voluntatis carentia indigere.

29 Tertiò probari potest propositio ab experientia ipsa. Experimur enim, quoties obiectum obscurum, & incertum est, & nihilominus fundamentum extrinsece sufficiens ad ei assentiendum, pro libito nos illi assentire, aut non assentire: ob id enim narranti aliquid aut credimus, aut non credimus pro nostro arbitratu;

Disp. VI. De dep. a vol. int. & c. Quæst. I. 16.

bitratu; sapèque ex iudiciis iudicamus mores, vel facta aliorum non sine scrupulo conscientie de iustitia, aut iniustitia talis iudicij, quod illud extra dubium liberum nobis, & imputabile credamus, &c.

30 Ex quibus omnibus apparet in iudiciis quoquo modo nobis incertis intellectum nostrum directe dominio voluntatis subditum esse quoad exercitium. Vtrum autem etiam quoad specificationem subdatur, ita ut penes arbitrium voluntatis sit, quod intellectus assentiat, aut dissentiat positiue obiecto proposito, prout voluntas elegerit, stantibus & inuariatis fundamentis ex se sufficientibus pro vtraque parte contradictionis ex dicendis *quæst. 3.* constabit.

Propositio 3.

31 Ad iudicia physice certa subiectiue exemptaque proinde ab omni formidine extra omne voluntatis immediatum imperium est intellectus determinatus tam quoad exercitium, quam quoad speciem. Tamen si ea à voluntate prout permittente, aut etiam prout causante remote pendere possint.

Et primum, quod ad eiusmodi iudicia per sola eorum fundamenta semel proposita determinatur intellectus quoad speciem, inde plane conuincitur, quod intellectus nulla potentia potest absque fundamento sufficiente quidpiam iudicare, ut statuimus *hypoth. 5.* Sed quando adest in mente fundamentum ad eliciendum assensum physice certum subiectiue de obiecto, nullum adest fundamentum ad formidandum in oppositum, nedum ad dissentiendum, ut constat: Alioquin assensus non esset sic certus; nec prorsus exemptus ab omni formidine, ut ponimus. Ergo impossibile est, rebus sic positis, ut intellectus dissentiat obiecto, cui assensu physice certo subiectiue assentire potest. Quod est esse eum determinatum quoad speciem ad assentiendum obiecto, adeo ut nullo voluntatis conatu possit ille ad dissentiendum tali obiecto moueri.

32 Quod autem ad prædicta iudicia sit intellectus determinatus etiam quoad exercitium independenter ab omni voluntatis imperio, imprimis experientia ipsa videtur constare: sæpe enim experimur non posse nos non assentire obiecto proposito. Quis enim cohibeat assensum, ne iudicet se legere hanc scripturam, se eam videre, &c. Si termini talis iudicij ei proponantur? Tum qui propter scrupulum, metumque incidendi in iudicium temerarium aduersus proximum, abstinere se facit ad iudicando, sæpe experitur, adeo esse vrgentia fundamenta, quæ occurrunt alicuius iudicij, ut nequeat eis propositis ab assensu abstinere; quantumvis voluntas reluctetur. Ergo ad huiusmodi iudicia physice certa subiectiue independenter à voluntatis imperio est intellectus determinatus quoad exercitium. Id quod probatur insuper à priori, quia quoties intellectus, vrgente aliquo fundamento, inclinatur in assensum alicuius obiecti, & nihil est, quo retardetur à tali assensu, quia nihil est, quo inclinetur in dissensum, aut in formidinem oppositam, nequit non manere absque indifferentia, atque adeo determinatus ad talem assensum. Sed quoties assensus est dicto modo certus, res ita se habet: quia tunc est assensus sic certus, quando cum fundamento inclinante ad illum nullum aliud est intellectui propositum, quo in partem oppositam inclinatur ad dissentiendum aut formidandum. Ergo. Et confirmatur à simili voluntatis, quæ nulla apparente ratione mali, qua retardetur ab amore boni propositi necessitata, atque adeo præ-

determinata quoad exercitium prorumpit in talem amorem, ut farentur omnes, & in motibus primò primis cernere est. Ergo tantumdem est dicendum de nostro intellectu, quoties non est, quod illum retardet ab assensu obiecti propositi, ut in casu, quem versamus contingit.

33 Iam verò, quod dicta iudicia physice certa subiectiue à voluntatis permissione possint in sua existentia pendere, inde venit probandum, quia voluntas sæpe potest eiusmodi iudicia impedire, & consequenter etiam permittere, non impediendo quando potest. Cum enim intellectus ex sua natura virtutis limitatus sit; etiam si possit aliquos simul actus habere, non potest tamen simul habere quamlibet actuum multitudinem, ut constat experientia. Quo fit, ut stantibus in intellectu aliquibus actibus, alij cum illis nequeant componi: eo quod mens cunctis simul amplecti nequit. Vnde passim obuenit, ut noua accedente cogitatione, ab antiqua auertamur, neque in vtraque simul possumus persistere, quantumvis id conemur. Igitur quamquam, ut ego autumo, ex suppositione, quod intellectus sufficienter habet proposita fundamenta iudicij physice certi subiectiue, nullatenus potest voluntas illud impedire, quantumvis conetur intrudere aliquem actum incompatibilem cum illo, eo quod tali facta suppositione, ut nequit voluntas, iuxta experientiam, per nolitatem efficacem de tali iudicio, aut per uolitionem efficacem de carentia eius directe illud impedire, ita nec videtur posse indirecte per intrusionem cogitationis à tali iudicio auertentis, quandoquidem nihil est magis positum in potestate voluntatis, nec magis oppositum dicto iudicio, quam nolitio efficax eius, aut efficax uolitio carentie ipsius. Attamen quia talem suppositionem potest impedire voluntas faciendo per intrusionem cogitationis alienæ, quod intellectus aut non cogitet de fundamentis dicti iudicij, aut non tam expresse, clare, & distincte, quam opus est, illa concipiat, idque cum sufficiente præuisione de carentia dicti iudicij ex tali impedimento remote sequenda, idcirco dicimus à voluntatis permissione posse eiusmodi iudicium sæpe pendere, quatenus voluntas sæpe potest intellectum auertere à sufficiente propositione fundamentorum eius per intrusionem cogitationis incompatibilis cum illa, & cum sufficiente præuisione saltem confusa de carentia ipsius iudicij sequenda.

34 Quod denique huiusmodi certa iudicia à voluntate non solum ut permittente, sed etiam ut causante illa remote, pendere possint, inde probatur plane: quia voluntas imperio suo potest applicare intellectum proximè, vel remote, aut ad cogitanda absolute, aut ad expresse concipienda fundamenta talium iudiciorum, à quibus semel sufficienter conceptis, siue propositis illa necessario proueniunt, idque cum sufficiente præuisione saltem confusa de existentia ipsorum ex eiusmodi applicatione remote prouentura, iuxta doctrinam propositionis primæ. Quibus integra propositio præsens manet probata.

35 Ex ea autem & præcedente colligitur primò, iudicia physice euidentia, id est, nulli formidini etiam physice obnoxia, dominio voluntatis non subiaccere directe & proximè. Tamen interdum remote ab arbitrio voluntatis, seu permittentis, seu causantis pendere possint in sua existentia, prout nuper expositum est. Id quod etiam est dicendum ob eandem rationem de iudiciis non euidentibus, quæ non titulo claritatis suæ, sed titulo inaduertentie intellectus, nimie adhesionis, subreptionis, aut alio quouis ab omni prorsus formidine

dine exempti sunt. Hæc enim etiam comprehendimus in superioribus sub nomine iudicii physice certi subiectivæ. Tamen ea non ita proprie certa dicantur, ut *supra disp. 5.* notavimus.

36 Secundo colligitur. Iudicia moraliter evidentiæ, vel certa, id est, prudentem solum, & cordatam formidinem, non verò physicam excludentiæ, directè, & immediatè subiecta esse imperio voluntatis. Ea enim sub nomine iudicii physice incerti subiectivæ, de quo egimus *propos. 2.* comprehensa sunt. Quo iure iudicium, quo credimus res nostræ fidei à Deo revelatas esse, arbitrio subiacet voluntatis. Tamen si illud moraliter evidens, moraliterque certum sit, ut unanimiter docent Theologi in materia de fide.

37 Quod si iudicia evidentiæ, & certa moraliter, libertati voluntatis sunt subiecta immediatè, quòd physice saltem formidini obnoxia nihilominus sunt, potiori iure cetera quæque iudicia probabilia, & improbabilia obnoxia quoque saltem formidini physice, libertati voluntatis immediatè subiecta erunt.

38 Tertiò colligitur. De illatione nostri dictus perinde quod ad rem attinet, ac de iudicio philosophandum esse illatio enim aut incerta physice subiectivæ, aut certa physice subiectivæ idem esse potest penes incertitudinem, certitudinemve iudicii expressi, vel taciti de connexionione antecedentis cum consequente, in quo illa vel consistit vel nititur, ut sæpe notavimus. Unde illatio aut immediatè potest esse subiecta voluntatis arbitrio, aut tantum remotè, quemadmodum dictum iudicium, vel quod ad ipsum attinet. De quo nonnihil amplius dicemus. *quest. seq.*

QVÆSTIO II.

*Utrum assensus antecedentis ad assensum consequentis determinet, siue
m. c. sit: & ?*

39 Supposita divisione necessitatis, seu determinationis in quoad speciem, & quoad exercitium, quam *quest. 1. hypoth. 6.* præmissimus. Communis Doctorum sententia est intellectum nostrum posito assensu antecedentis ad assensum consequentis, qui conclusio dicitur, necessitari quoad speciem, adeo ut nullatenus ei dissentire possit. Ita Rub. *libr. 1. Post. capite 1. quest. 8. numero 88.* & ceteri mox referendi.

40 De necessitate quoad exercitium est controuersia. Ipse enim Rub. *num. 93.* docet, cognito antecedente, adhuc manere libertatem ad assentiendum, aut non assentiendum consequenti, quam dicit esse sententiam S. Th. *1. 2. quest. 17. artic. 6. in corp.* At verò Conimb. *lib. 1. Post. capite 1. 9. 4. art. 4.* docent, posito assensu antecedentis ita necessitari intellectum ad assensum consequentis quoad exercitium, ut voluntas talem assensum directè impedire non possit; bene tamè indirectè diuertendo intellectum, aut nimium alteri cogitationi affigendo. Quam dicunt esse sententiam omnium grauium authorum. Pro eaque referunt Arist. *lib. 7. Eth. capite 3. S. Th. 1. part. quest. 82. art. 2. & 1. 2. quest. 13. art. 6.* Caiet. Duran. Henr. Sencin. & Fons. *lib. 6. capite 1. quest. 4. sect. 4.* Quam eamdem sententiam sequuntur Pet. Hurt. *disp. 7. de Anim. sect. 4.* Arriag. *disp. 15. logi. sect. 6.* Ouid. *disp. 9. logi. pun. 4.* & alij Recentiores.

Pro distinctiore resolutione suppono breuiter 41 nonnulla sæpe iam in superioribus commemorata, & commemoranda in sequentibus. Nempe propositionem obiectivam aut per se, aut per aliud posse esse notam. Si sit per se nota, eaque certa physice certitudine subiectivæ per idoneam apprehensionem terminorum, quæ eo ipso sit sufficiens propositio fundamentorum talis propositionis, adeo necessitatur intellectus ad iudicandum illam, ut tali fundamentorum propositione supposita, nullatenus possit à voluntate tale iudicium impediri adhuc indirectè; etsi possit impedita dicta suppositione, ut constat ex doctrina data *quest. 1. propos. 3.* Quod si propositio per se nota, sit physice incerta subiectivæ, adhuc supposita idonea terminorum apprehensione, atque adeo facta fundamentorum propositione sufficiente, manebit intellectus indifferens quoad exercitium ad iudicandum illam, impericque subinde directè voluntatis, ut determinetur, egebit, ut ex doctrina etiam statuta *quest. 1. propos. 2.* liquet.

Si verò sit propositio nota per aliud, id est, nocibilis ex antecedente præiudicato ut connexo cum consequente, id variis modis potest accidere: vel enim tam iudicium de antecedente vnum, vel multiplex, quam iudicium plerumque tacitum de connexionione antecedentis cum consequente est certum physice subiectivæ, vel vtrumque est incertum etiam physice, & subiectivæ. Vel alterum est certum pariter, & alterum incertum, vel vice versa. In quocumque horum casuum, qui iudicat antecedens, ibique sistit, non iudicata saltem tacite seu virtualiter connexionione antecedentis cum consequente, necunde obligatur, siue necessitatur ad iudicandum consequens: quia iudicium de antecedente seorsum à iudicio de connexionione antecedentis cum consequente, nullatenus infert iudicium de consequente: quia neque est fundamentum sufficiens ad iudicandum consequens. In quo casu si loquatur Rub. doctrina eius indubitata erit, nec cadens sub controuersiam præsentem. Difficultas enim impræsentiarum est.

Utrum in quolibet dictorum casuum iudicans antecedens, & simul iudicans illud cum consequente connexum esse, adeo necessitetur inde ad iudicandum consequens, ut suppositis illis iudiciis, ab hoc abstinere non possit.

Propositio 1.

Qui cum certitudine physice, & subiectivæ iudicat antecedens, & eius connexionem cum consequente, necessitatus inde manet ad iudicandum consequens, adeo ut suppositis illis iudiciis, hoc, ne indirectè quidem, possit à voluntate impediri.

Quoniam in tali casu iudicium de consequente non potest non esse certum physice certitudine subiectivæ, qualia sunt iudicia de antecedente, & de connexionione eius cum ipso consequente: in quibus, vel in eorum obiectis prout sic iudicatis nititur tantum in proprio fundamento iudicium ipsum de consequente. Constat autem ex dictis *quest. 1. propos. 3.* ex suppositione fundamenti rite & sufficienter propositi iudicii physice certi certitudine subiectivæ ne indirectè quidem posse voluntatem efficere, ut intellectus non prodeat in tale iudicium, etsi possit antecedenter ad eam suppositionem impediendo ipsum fundamentum, siue propositionem eius. Igitur in casu posito iudicium de consequente, ex suppositione iudiciorum de antecedente, & connexionione eius omnino ineuitabile est. Tamen si voluntas

luntas antecedenter possit eam suppositionem tollere, seu impedire aliò diuertendo intellectum à cogitatione antecedentis, aut connexionis eius. Sicque indirectè, & remotè efficere, vt non existat iudicium ipsum de consequente.

Propositio 2.

44 Qui cum incertitudine physica, & subiectiua iudicat antecedens, aut eius connexionem cum consequente, aut vtrumque, indifferens remanet adhuc ad iudicandum consequens, imperioque subinde voluntatis indiget, vt iudicet illud.

Quoniam in tribus hisce casibus iudicium de consequente incertum est physice, & subiectiue incertitudine oriunda à fundamento, in quo illud nititur. Repugnat quippe manifestè consequens vi antecedentis esse certum, quando vel antecedens ipsum, vel connexio eius cum consequente, vel vtrumque est incertum, sed ad iudicium incertum physice, & subiectiue ex vi fundamentorum eius præcisè non determinatur intellectus quoad exercitium, nisi imperium voluntatis accedat, per quod determinetur, vt constat ex doctrina statuta *quæst. 1. propositi. 2.* Ergo qui cum incertitudine physica, & subiectiua iudicat antecedens, aut eius connexionem cum consequente, aut vtrumque, indifferens remanet adhuc ad iudicandum consequens; imperioque subinde voluntatis indiget, vt iudicet illud.

45 Dices: ex suppositione, quod antecedens & connexio eius cum consequente sunt vera, certissimum iuxta atque euidentissimum est consequens esse verum. Ergo qui quomodolibet iudicat antecedens, & connexionem eius cum consequente, necessitatis inde manet ad iudicandum consequens. Concesso antecedente, nego consequentiam. Esse namque consequens certissimè verum ex suppositione quod antecedens, & eius connexio cum consequente sint vera, dumtaxat efficit quod consequens iudicari possit ex hypothesi antecedentis iudicio quodam conditionato, siue hypothetico. De quo modo non agimus; ad quodque proinde supposito eius fundamento rite proposito, nulla manet in iudicante libertas. Non verò itidem, quod iudicium absolutum de eodem consequente, de quo tractamus, à dominio voluntatis adhuc directo exemptum sit. Vt enim tale iudicium semper manet incertum; eo quod coniunctum ex antecedente & connexione eius cum consequente, in quo prout absolute iudicato tanquam in proprio fundamento nititur, incertum est; ita etiam semper manet subiectum dominio immediato, atque directo voluntatis; sicut & alia quæque iudicia incerta. Et hæc satis de præsentè quæstione.

QVÆSTIO III.

Verum stantibus pro vtraque parte contradictionis fundamentis inclinantibus ad eius iudicium, penes arbitrium hominis sit iudicare vtramuis.

46 Suppono vt certum apud omnes eundem intellectum humanum neutiquam posse iudicare simul vtramque partem contradictionis. Atque adeo nec posse (quod in idem recidit) assentire simul, & dissentire eidem obiecto. Ratio est, quia licet

possit adesse fundamentum sufficiens ad iudicandum alterutram contradictionis partem seorsim: de quo postea; ad iudicandum tamen vtramque simul nullatenus potest adesse: eo quod euidentissimum cõstet est vtramque partem contradictionis simul veram esse non posse.

Vnde obiter colliges: cur assensus, & dissensus 47 de eodem obiecto simul in eodem intellectu coniungi non possint; oppositæque proinde sint actus, vt apud omnes est in confesso. Inde enim nascitur, quod intellectus absque sufficiente fundamento non potest quidpiam iudicare, vt *superius quæst. 1. hypoth. 5.* statuimus. Si autem coniunctum extremorum contradictionis iudicaret assentiendo simul, & dissentiendo eidem obiecto, id vtiq; sine sufficiente fundamento iudicaret, cum ad tale quid iudicandum nullatenus possit habere fundamentum sufficiens propter euidentiam oppositam, vt dictum est.

Suppono secundò: quoties fundamenta existentia 48 pro vtraque parte contradictionis inæqualiter ad iudicium inclinant, illo, quod præponderat alteri, bene posse intellectum saltem ex voluntatis imperio moueri ad iudicium eius partis, vt experientia passim ostendit, atque ita illud ipsum sufficiens ex le fundamento esse ad talem partem iudicandam.

Difficultas est, an etiam possit intellectus ex voluntatis imperio moueri illo, quod minus ponderat, minusque quam alterum inclinat ad eam partem iudicandam, in quam inclinat. Tum an possit moueri alterutro, quando ambo inclinant æqualiter. 49

Suppono tertio. Plerumque posse intellectum 50 in casu quæstionis ex voluntatis imperio facere, vt fundamentum, quod aut æqualiter, aut minus quam alterum inclinabat ad iudicandum, iam magis inclinet, atque adeo sufficiens ex se citra dubium ad iudicandum euadat; nempe aut applicando attentionem ad eam partem, & remouendo ab opposita, atque adeo exaggerando, expressiusque, & melius concipiendo momenta eius partis, quasi defectis, & reiectis, minusue expressè conceptis momentis alterius, aut facto discursu subdij aliquid attrahendo pro parte illa contra oppositam à coniecturis denuo inuentis. Aut aliter, Pro quo multum facit voluntatis affectus ad talem partem iudicandam propensæ. Quo pacto euenit læpissimè, vt iudicemus, quod volumus, quando materia incerta est. Quæ etiam frequenti experientia conspicua sunt.

Difficultas igitur tandem est, an inuariatis, & 51 prorsus eodem modo se habentibus fundamentis pro vtraque parte contradictionis aut æqualiter, aut inæqualiter inclinantibus ad iudicium, intellectus humanus possit pro voluntatis electione vtramuis seorsim iudicare? Quæ difficultas in eam recidit. An pro ambabus partibus contradictionis possint esse simul fundamenta sufficientia ex se ad iudicandum siue ea æqualia, siue inæqualia sint quoad inclinationem? Tum etiam in eam. An intellectus humanus in rebus incertis fundamentorum præsentium, prout iacent, non solum quoad exercitium, sed etiam quoad speciem sit liber, adeo vt non solum possit iudicare, aut non iudicare alteram partem contradictionis; sed etiam possit iudicare vnâ vel alteram, prout voluntati libitum fuerit?

Propo

Propositio 1.

51 Existimo sæpe esse pro ambabus partibus contradictionis fundamenta ex se sufficientia ad iudicandum illas scilicet, siue illa sint inæqualiter, siue æqualiter inclinantia ad iudicium. Atque adeo intellectum nostrum circa extrema contradictionis ex vi fundamentorum, prout iacent, sæpe esse liberum ad iudicandum non solum quoad exercitium, sed etiam quoad speciem; subindeque in talibus casibus penes arbitrium voluntatis esse, utramvis partem contradictionis iudicare absque ulla varietate fundamentorum.

52 Moueor primò: quia id satis videtur experientia testari sæpe enim experimur haud dubiè nos circa duo extrema contradictoria proposita deliberare, nullaque facta fundamentorum varietate alterutrum iudicium pro nostro arbitratu deligere. Quod certè in feligendis opinionibus, suppositis, immutatisque fundamentis earum vsuuenire sæpe videtur. Quandoquidem sæpe eam, quam elegeramus, opposita electa, reiicimus; non quod illarum fundamenta aliter nobis modò quam antea compareant; sed quod motuum aliquod occurrit extrinsecum, aut aliter pro solo arbitratu volumus mutare electionem.

53 Secundo. Quia quoties ex parte obiecti voluntatis apparet ratio boni inclinans ad volitionem eius, & ratio mali inclinans ad oppositam nolitionem, siue huiusmodi inclinationes sint æquales, siue inæquales, indifferens manet proximè, & immediatè voluntas ad volendum, vel nolendum tale obiectum, prout sibi libuerit, ut certa iam apud nostros omnes contra Vasquez, & paucos suos sententia fert in materia de libertate. Ergo pariter est philosophandum de intellectu ad assensum, & dissensum eiusdem obiecti diuersis, oppositisque fundamentis siue æqualiter, siue inæqualiter inclinatis. In hoc enim intellectus & voluntas similiter procul dubio sunt, nisi quod indifferentia intellectus ab oppositis inclinationibus nascens non ab intellectu, ut pote potentia non libera, sed à voluntate determinanda venit; cum tamen indifferentia voluntatis à voluntate ipsa, utpote potentia libera determinetur. Quod argumentum apprimè ea omnia corroborant, quæ suo loco congerimus contra Vasquez consentem ad eum solum actum ex duobus oppositis esse voluntatem nostram proximè liberam, ad quem magis inclinatur, siue viuacius excitatur per intellectum. De quo ibi.

54 Tertiò. Quia nisi doctrina propositionis vera esset, nunquam homo esset immediatè, & proximè liber ad eligendam alterutram ex duabus opinionibus

probabilibus, & oppositis. Quod tamen & praxi, & rationi videtur refragari. Tum temere, & illicite iudicans de moribus proximi etiam posset à tali iudicio nihil iudicando abstinere; nunquam tamen esset proximè liber ad concipiendum de dictis moribus iudicium oppositum. Quod tamen durum, & absurdum videtur.

Quartò denique propositio probatur: quia nihil est alicuius momenti, quod contra illam possit oponi. Si quid enim, maximè illud. Quod homo non potest simul assentire, & dissentire eidem obiecto. Videtur autem perinde esse, assentire modo illi, & dissentire postmodum, stantibus semper, & inuariatis eisdem fundamentis. Verumtamen hoc momenti non est: quia pariter non potest homo simul velle, & nolle efficaciter idem obiectum; & tamen illud potest modo velle efficaciter, & postmodum efficaciter nolle, stantibus, & inuariatis eisdem motiuis, ut communis fere omnium sententia fert. Igitur non est perinde assentire modò obiecto, & dissentire postmodum; aut illud velle modò, & postmodum nolle; atque assentire illi simul, & dissentire; aut illud simul velle & nolle, quantumuis eadem semper fundamenta motiuæ inuariata persistant.

Propositio 2.

55 Stantibus pro utraque parte contradictionis fundamentis inclinantibus ad eius iudicium non semper est penes arbitrium hominis iudicare utramvis.

Ratio est: quia inclinatio fundamenti ad iudicium certam quantitatem debet attingere, ut illud ex se sufficiens ad iudicandum faciat, citra quam utique non faciet. Ob id enim sæpè ad aliquam partem contradictionis ita inclinamur, ut licet compotes simus formidare, aut suspicari de illa, compotes tamen iudicare non sumus ex vi talis inclinationis.

Itaque inclinatio fundamenti stantis pro aliquà parte contradictionis aut tam exigua potest esse, ut ad iudicium de tali parte mouere cum effectu non possit; aut tantæ quantitatis, ut ad iudicium quidem mouere possit, non tamen ad iudicium probabile, & prudens; sed ad imprudens, & improbabile; aut tantæ quantitatis, seu ponderis, ut ad iudicium probabile, & prudens, incertum tamen mouere valeat: aut denique tam eximia esse potest, ut secum inclinationem oppositam non compatiens, ad iudicium physicè certum subiectiuè, aut etiam physicè euidentis de facto moueat. Quæ omnia ex dictis in superioribus satis apertè colliguntur, ac conspiciuntur.